

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis Tvscvlarvm Dispvlationvm Ad M Brvtvm Librvm I.
De Contemnenda Morte, Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN
M. TVLLII. CICERONIS
TVSCVLANARVM
DISPVATIONVM
AD. M. BRVTVM

LIBRVM. I.

DE CONTEMNENDA MORTE,

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

ROMANOS suos Cicero inuitat ad capeſcendum ſapientiae ſtadium, ut, mortis, & doloris metum remouentes, aegritudinemq. lenientes, ac reliquos affectus moderantes, beata uita potiantur. Praeclaram igitur hanc hortationem, quam quinque diebus ſapientiſſime diſputauit, hiſce quinque libris complexus eſt, & ornaſiſſimo orationis genere: praeter quam enim quod ad Brutum clariſſimum oratorem ſcriberet, poſteritatem etiam exornare uoluit ſuo labore, ac ſtudio. A nomine uillae, quae prius fuit Sullae Dictatoris, Tuſculanas diſputationes inſcribere libuit, ni mirum in quibus Stoicorum dogmata auſteriora maxime probentur: quamquam & primum earum librum ſimpliciter Tuſculanam primam uocauit in x. ad Att. In libro 2. de Diuin. clare patet certa Ciceronis in
R ſcriptio

Scriptio & numerus librorum: ibi enim, cum indicem quasi quendam conficeret eorum, quos in philosophicis uel scripserat iam, uel scribere deinceps cogitabat, ita loquitur. Totidem subsequuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate uiuendum maxime necessarias aperuerunt. Eandem inscriptionem nominat etiam in prooemio libri quinti. Nunc in primo disputaturus de mortis contemptu Brutum significatione sui praeclari de illo iudicii sibi conciliat, nec non & populum Rom. cuius ingenia & uirtutes Graecis anteposit. Sed ipsius uerba, quantum quidem in nobis erit, accurate consideremus.

A D . M . B R V T V M

L I B R V M . I .

D E C O N T E M P T U M M O R T I S

Commentarius Aldi Manuceij.



A R G V M E N T V M

R
 Argumentum
 In hoc libro de contemptu mortis
 disputaturus de mortis contemptu
 Brutum significatione sui praeclari
 de illo iudicii sibi conciliat, nec non
 & populum Rom. cuius ingenia & uirtutes
 Graecis anteposit. Sed ipsius uerba,
 quantum quidem in nobis erit, accurate
 consideremus.



CICERO



DE defensionum laboribus, senatorijsq. muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus; retuli me. Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, lon-

go intervallo intermissa reuocaui. Et cum omnium artium, quae ad rectam uiuendi uiam pertinent, ratio, & disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur: hoc mihi Latinis litteris illustrandum putauit.

EXPLANATIO



DEFENSIONVM laboribus, senatorijsq. muneribus? Virtus, labor, & dignitas Ciceronis in hac sententiâ apparent. Virtus enim est, defendere innocentes, & in defensione labor magnus, & fatigatio. Senatoria uero munera praecipua sunt, salutis, tranquillitatis, dignitati reipublicae consulere: non enim possunt nisi ab homine admodum nauo, uigilanti, industrio, sustineri. Consueuerat Cicero accusare neminem, defendere complures. Nec umquam ad accusandum descendit, nisi coactus. Itaque & principio diuinationis in Verrem cum excusare se, tum accusatoris nomen a se amoliri omni studio nititur, omniaq. facit, ut non tam accusare Verem, quam socios defendere uideatur: & in Bruto non accusationem illam, sed patrocinium Siciliense nominat: & quantopere ab horreat ab accusando, ipse in oratione pro Roscio Atherino testatur his uerbis: Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere, dum utrum uis licebit. is enim mihi uidetur amplissimus, qui sua uirtute in altiore locum peruenit, non qui adscendit per alterius incommodum & calamitatem. Et notum est iudicium ipsius de M. quodam Bruto, in quo, quod accusationem facti tasser, magnum dedecus ipsius generi fuisse dicit. Neque non tamen intelligebat, multum etiam reip. prodesse eos, qui uim dicendi suam conferrent ad nefarios homines legum ac iudiciorum uinculis constringendos. nam & principio libri tertij in Verrem copiosissime in eam sententiam disputat: & in extrema oratione pro Coelio duas ipsius accusationes quasi pignora quaedam futurae uitae, ac uoluntatis erga remp. esse uult: & in ea ipsa, quam modo nominauimus, Rosciana defensione, Multos inquit accusatores, esse in ciuitate, utile est, ut metu contineatur audacia. Et paullo potest nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. utilius est autem absolui innocentem, quam nocentem causam non dicere. Lycurgus quoque in oratione aduersus Leocratem praeclare ostendit, quanti publice intersit, esse, qui nomen flagitiosis hominibus deferant: cum enim tria sint, quae reip. statum, ipsiusq. adeo ciuitatis felicitatem conseruent, legum constitutio, iudicum tabella, & eorum, qui aduersus leges deliquerint, accusatio, horum trium priora duo, si tertium ablit, nullam omnino uim obtinere. uerba ipsius haec sunt. Τρία γὰρ ἐστὶ τὰ μέγιστα, ἀ διαφυλάττει, καὶ διασώζει δημοκρατίαν, καὶ τὴν πόλιν ἐλευθερίαν. πρῶτον μὲν ἡ τῶν νόμων τάξις, δεύτερον δ' ἡ τῶν δικαστῶν. Τῆτος δὲ ἡ τοῦ τοῖς ἀδικημασιν παραδούσα κρίσις. ὁ μὲν γὰρ νόμος πρότερον προλέγειν, ὃ μὴ δεῖ πράττειν. ὁ δὲ κατηγορὸς μὲν εἰν τοῦ ἐνόχου, τοῖς ἐκ τῶν νόμων ἐπιτιμίαις καθέσθαι. ὁ δὲ δικαστὴς κολάζειν τοὺς ὑπερβολῆραν τοῦ τῶν ἀποδειχθέντων αὐτῶ. ὁ δ' ἄθ' ὁ νόμος, οὗ θ' ἡ τῶν δικαστῶν. Τῆτος δὲ, ἀνεῦ τοῦ παραδούσους ἀνοίξαι τοῖς ἀδικησύναις ἰσχύει. Sed hac tota de re quando suscipienda sit accusatio, quando defensio, consulendus est Cicero lib. 2. de offic. & M. Fabius lib. xii. cap. 7. Institutionum. Illud certe liquido constat, laudabiliorem, & pleniorum humanitatis esse defensionem: nam defendi interdum sine reprehensione etiam nocens potest: accusari innocens a sciente sine nefario scelere non potest. itaque alterum suapte uis semper honestum est, alterum numquam, nisi cum est necessarium. AUT omnino, aut magna ex parte? hoc dicit, quoniam, etsi raro, non numquam tamen, & amicis periclitantibus aderat, & ueniebat in senatum. quod ostendunt orationes pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro. ESSEM aliquando liberatus? animaduerte, ut caute loquatur. non enim euerfam remp. dicit, non sublata iudicia, non oppressum senatum, non se impijs armis a rep. prohibitu, ut in ijs libris, quos mortuo Caesare scripsit: sed aliquando liberatum, tamquam graui quodam, & iam molesto onere: ut id & diu prope cupisse, & obtentum in beneficii loco habere uideatur: cum prospiceret se ex illustrata philosophia maiorem quam ex gesto consulatu laudem apud posteros consecuturum. BRUTE, te hortante? Multum ualent approbationes, & incitationes amicorum: fitq. in hominibus etiam, quod Ouidius scribit: Acer & ad palmae per se cufurus honores, Si tamen horteris, fortius ibit equus. Quanti autem M. Brutum ob summum eius ingenium, & singularem uirtutem, morumq. suauitatem, Cicero fecerit: nemini, qui uel epistolas eius, uel Paradoxa, & has ipsas Tusculanas legerit, est obscurum. RETENTA animo, remissa temporibus? oratio est uerbis propriis distincta. Animo enim retinemus, temporibus remittimus, id est propter difficultatem temporum: non tantum bellorum, ci-

uiliam tempora intelligit: uerum etiam totum illud tēpus, quo ipse uersatus est in republica. ΑΝΤΙΥΜ, quae ad rectam uiuendi uiam pertinerent: artes enim sunt rerum bonarum. ΣΤΥΔΙΟ sapientiae, & philosophiae σοφίας, siue sapientiae nomen initio non erat certae, ac definitae alicuius uirtutis facultatisue nomen, sed ita commune, ut, quam quilibet artem exquisitē praeter ceteros calleret, in ea σοφός diceretur, ipsūq. σοφίας nomen omnibus etiam uilissimarum opificum artibus tribueretur: quod uel ex Platonis Apologia uel ex Theage constat, sed & Aristoteles lib. vi. ad Nicomachum idem confirmat his uerbis: Τὴν δὲ σοφίαν ἐν ταῖς τέχναις τοῖς ἀκριβοτέτοις τὰς τέχνας ἀποδίδωμεν. δῖον φῖδιαν λιθουργόν σοφόν, καὶ Πολύκλειτον ἀνδριαντοποιόν. ἐν ταῦτα μὲν οὐκ οὐδὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν, ἢ ὅτι ἀριστὴν τέχνης εἶναι. atque hoc sensu uidelicet Homerus illud protulit, — ἐπεὶ σοφὸς ἤρασε τέκτων. idemq. Iliados ο', fabrum id est ναυπηγόν peritum describens, πᾶσαν σοφίαν εἰ τριβuit, ut & Hesiodus cytharoedo Lino, quin etiam ille cū Margiten suum nullius artis peritum significare uellet, ita hoc expressisse traditur:

Τὸν δ' οὐτ' ἀρσκαπήρα θεοὶ θέσαν, οὐτ' ἀροτήρας,
οὐτ' ἄλλως τι σοφόν. πάσης δ' ἡμάρταγε τέχνης

& sic de nauta imperito,

Ὅτε τιγαυτιλίης σεσοφισμένον

Et Archilochus: τριαιγαν ἑδλίην, καὶ κυβερνήτις σοφός.

Sed & Xenophon in Hierone cibos exquisitus apparatus, ac conditos σοφίσματα uocauit. σοφούς igitur, aut σοφιστὰς uocabant eos, qui quacumque in re multum operae, ac studii ponerent: τῶν, ut ait Clemens in primo ερωμάτων, πρὸς ὁτιοῦν πολυπράγμονας: ut Eustachius ἀπαντας τοὺς τεχνίτας, iccircoq. Socrates cum Theaeteto disputans innere uidetur τὴν σοφίαν οὐ διαφέρειν τῆς ἐπιστήμης, & discere, nihil esse aliud, quā πρὸς ὁ μαθᾶναι τις, σοφώτερον γινῶσθαι. Peculiare autem aliquando hoc nomen musicorū fuit; esse enim omnium esse eruditissimos putabant. Cicero ipse paulo infra: Summam eruditionem Graeci sitam censebant in neruorum uocumq. cantibus. Athenaeus lib. xi v. Το δὲ ὄλον εἰσκαὴ ἡ παλαιὰ τῶν Ἑλλήνων σοφία, τῆ μουσικῆ μάλιστα εἶναι δεδομένη. καὶ διὰ τοῦτο τῶν μὲν θεῶν Ἀπόλλωνα, τῶν δὲ ἡμιθέων Ὀρφέα μουσικώτατον καὶ σοφώτατον ἔκρινον: καὶ πάντας τοὺς χρομένους τῆ τέχνη ταύτῃ σοφιστὰς ἀπεκάλου. Iam uero apud antiquos musici iisdē erant & poetae. Cic. III. de Oratore. Namque haec duo, musici, qui erant quōδὰ iisdē poetae, machinati ad uoluptatem sunt, uersum, atque cantum. cum ergo musici σοφοὶ siue σοφιστὰς dicerentur, poetae quoque eodem nominis honore afficebantur. Laertius lib. i. οἱ δὲ σοφοί, καὶ σοφιστὰς ἑκαλοῦντο. καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ σοφιστὰς καθεὶ καὶ Κρατῖνος ἐν Ἀρχιλόχῳ τοῦς πρὸ Ὀμηρον, καὶ Ἡσίοδον ἐπανῶν, οὕτως καλεῖ. Atque hic uidelicet, Ἀγακρεων ὁ σοφός in Phaedro, & poeta in Lyside sapientiae patres, ac duces, & a Cicero ne in Milontana homines sapientissimi nominantur. Sed de his alius erit dicendi locus. Σοφούς etiā uocabant callidos, & astutos: quo modo Euripides, mulieres ad machinanda mala sapientissimas esse dicit. Sapientes etiam uocabant eos, qui condendarum legum, gubernandarumq. ciuitatum rationem tenerent: cuiusmodi sapientiam apud Platonem expetit Theages. Sed hanc Aristoteli prudentiam potius appellari placet; sapientes enim rectius uocari censet illos, qui in rebus diuinis, & in iis, quae in obscuritate naturae latent, contemplandis occupati sunt; quales Anaxagoras, & Thales Milesius fuerunt. Quoniam autem rhetores contendebant, artem suam eam esse, qua regerentur ciuitates, sibiq. politicorum nomen uindicabant: factum, ut ipsis quoque sapientum appellatio tribueretur. itaque in diuinis litteris sapientiae nomine saepe eloquentiam significari uidemus. Stoici sapientem eum describebant, qui neque fuit, neque esse omnino potest: qui nihil opinaretur, numquam commoueretur animo, nulla in re falleretur, nullam non optime teneret artem: solus Rex, solus diues, solus liber, solus formosus esset: coacernabant alia eiusdem generis plurima περατολογήματα, ut risus captare potius, quam serio loqui, uiderentur. omnino autem sapientiae professio hoc suscipere, ac polliceri uideatur, eum, qui sapiens sit, nihil nescire, sed omnium rerum perfectam cognitionem animo inclusam tenere: ut uerissime dictum sit a Socrate, alijsq. ueteribus, solum Deum esse sapientem. nam si sapientia, ut eam primū Stoici, & eos secuti alij definirunt, est diuinarum humanarumq. rerum, & causarum, quibus illae inter se continentur, scientia, in quem tandem illa, praeterquam in Deum cadit? Aristoteles in iis libris quos inscripsit τῶν μετὰ τὰ φυσικά, sapientiam uocat eam scientiam, quae primas rerū causas, primaq. principia considerat: quaeq. non in huius, aut illius generis, sed in eius quod est, ea ratione qua est, cognitione, ac contemplatione uersatur. cum autem ἐν τοῖς καθόλου contineantur τὰ ἐν μέρει: & scientia illa consideret τὸ πάντων καθολικώτατον, nempe τὸ ὄν, ἢ ἐς ἢ ἀπλῶς, ἢ οὐχ ἢ ἐς τὸ δὲ, ἢ τὸ δὲ, non absurde dici potest, sub ea ceteras omnes, quae τοῦ ὄντος partem aliquam tractant, contineri. Illud addamus, σοφίαν dictam uideri, quasi ἀφείων τινῶν: propterea quod ea tractat, quae sunt τῆ βαντῶν φύσει σαφέστατα, καὶ φανώτατα. & si obscura nobis propter humanae mentis imbecillitatem. cuius notationis auctor est Ioannes Grammaticus in priorem librum de demonstratione. Explicata autem ui τῆς σοφίας, facilius erit τῆς φιλοσοφίας explicatio. consueuerunt enim Graeci eos, qui rei cuiuspiam studio tenentur, ea ipsa ex re φιλοσοφίᾳ nominare, ut φιλοσόλους, φιλοδόξους, φιλοχρημάτων, studiosos amicorum, honoris, pecuniae. Sic igitur etiam φιλοσόφος dixerunt eos, qui sapientiae studio essent: & φιλοσοφίαν eam animi affectionem. cū autem σοφίαν, ut dixi, uocarent accuratam cuiuscumque artis intelligentiam: philosophari etiam dicebant eos, qui aliqua in re plurimum operae, ac studii ponerent, eamq. diligenter commentarentur. Citantur haec a grammaticis ex Menandro: φιλοσοφεῖ δὲ τοῦτο, ὅπως καὶ ταπράξηται τὸν γάμον ubi illud φιλοσοφεῖ manifesto

manifesto idem ualet, quod studet, commentatur, agit secum in animo. sed huius significationis exem- pla, & a Budaeo in Commentariis multa congesta sunt, & alia difficulter congeri possunt. ipsum igitur philosophiae nomē nihil proprie aliud significat, quam ardorem quendam animi ad ueram & solidam rerum cognitionem peruenire cupientis. itaque praeclare in conuiuio Socrates neque sapientes, neque indoctos philosophari ait: illos enim peruenisse iam ad sapientiam, hos ne cupere quidem peruenire, philosophos igitur medium quoddam genus esse, inter sapientes, & expertes disciplinae. nemo. n. aut id, quod iam possidet, concupiscit, aut id, quod, quale sit, nescit. Receptum est tamen consuetudine, ut quoniam perfecta sapientia in Deū modo conueniret, philosophiae nomen de ea sapientia, quae in ho- minem caderet, diceretur: praecipue posteaquam Pythagoras in illo Phisio sermone sapientem esse se negauit, philosophum id est sapientiae studiosum dixit.

CICERO

NON quia philosophia Graecis & litteris, & do- ctoribus percipi non potest: sed meum iudicium semper fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapien- tiam, quam Graecos; aut accepta ab illis, fecisse melio- ra, quae quidem digna statuissent, in quibus elabora- rent. nam mores, & instituta uitae, resq. domesticae, ac familiares nos profecto & melius tuemur, & lau- rias: re uero publicam nostri maiores certe melioribus

temperauerunt & institutis, & legibus. Quid loquar de re militari: in qua cum uirtute nostri multum ualue- runt, tum plus etiam disciplina. Iam illa, quae natura, non litteris, assecuti sunt, neque cum Graecis, ne que ulla cum gente sunt conferenda. quae enim tanta graui- tas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?

EXPLANATIO

NON quia philosophia & occupatio. cur Cicero Latinis litteris uult illustrare philosophiam, cum pos- sit disci litteris, & doctoribus Graecis? OMNIA nostros? Qui Romanorum scripta diligenter ob- seruant, facile intelligere poterunt, Ciceronem Plinium, Varronem, T. Liuium, C. Caesarem, coniunxisse sua scripta cum laude patriae, & quoad pauerunt, patriae honores, gloria, & triumphum cohonestasse. Volebant enim uidere patriae studiosi. IN quibus elaborarent. id est, studium collocarent, studiose uerfa- rentur. MORES, & disciplinam uitae priuatae, & domesticae. INSTITVTIS, & iuribus non scriptis. LEGI- BUS, & iuribus scriptis DE re militari? Haec, ut alibi ait Cicero, nomen populo Rom. haec, urbi aeterna gloriam peperit, haec, orbem terrarum parere huic imperio coegit. GRAUITAS, & uirtus in retinendo instituto uitae: & leuitati opponitur. CONSTANTIA, & perseverantia consiliorum, & institutorum: cui uirtuti contraria est immutatio consiliorum. PROBITAS, & in promissis faciendis.

CICERO

DOCTRINA Graecia nos, & omni litterarum genere superabat. in quo erat facile uincere non repugnantes. nam, cum apud Graecos antiquissimum e- doctis sit genus poetarum, siquidem Homerus fuit, & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnan- te Romulo: ferius poeticam nos accepimus. annis enim fere dix post Romam conditam Liuius fabulam dedit, C. Claudio Caeci filio, M. Tuditano cos. anno ante na- tum Ennium: qui fuit maior natu, quam Plautus, & Naeuius. sero igitur a nostris poetae uel cogniti, uel re-

cepti. quāquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum uirtutibus. honorem tamen huic generi non fuisse, decla- rat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobili- ori, quod is in prouinciam poetas duxisset. duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus ergo honoris erat poetis, eo minora studia fue- rint. nec tamen, si qui magnis ingenijs in eo genere existi- terunt, non satis Graecorum gloriae responderunt.

EXPLANATIO

GRAECIA nos, & confessio morata. Est enim hominis candidi, & probi, confiteri quod uerum est. OMNI litterarum genere & omnibus partibus philosophiae. NON repugnantes. & non elaborantes, nullum studiū collocantes in doctrina litterarum. HESIODVS & distinctus ab Homeri aetate ut ait Agell. lib. 1. circa cxx. annos. quāquam Dio Chrysoftomus aequales facit in principio secundae orationis de re- gno. quod etiam comprobare uidetur Agellius lib. xvii. cap. 21. LIUIVS & L. Liuius cognomento Andro- nicus, primus Latine comoedia scripsisse fertur. Fabulas Romae docere coepit post Sophoclis, & Euri- pidis mortem, annis fere clx. De eodem Agellius. T. Liuius, & Valerius Maximus. FABVLAS dedit, & Poetae dant fabulas aedilibus, & populo: & liberalius est dare quam uendere. ENNIVM: & M. Varro. in primo lib. de poetis scripsit Q. Ennium natum esse Q. Valerio, & C. Manilio consulibus. Pomponius Mela ait Rudias Apuliae opidum Ennio ciue esse nobiles: cui ad stipullatur Silius, cum ait: Miserunt Calabri, Rudiae genuete uetustae. periit morbo articulari. PLAVTVS, & floruit, quo tempore M. Cato orator in ciuitate. NAEVIVS. & hic stipendia fecit bello Punico primo. RECEPTI. In urbem.

IN



In Origibus, & M. Porcij Catonis. De his Cicero in Bruto: Iam uero Origenes Catonis, quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent? In Epulis & in conuiuio. CANERE conuiuas ad tibicinem & scilicet sequendo sonum, & numerum ipsius tibicinis. Huius generis poeticae. M. Nobilioris, & M. Fuluius cognomento Nobilior, cuius res gestas Q. Ennius celebravit, donatus ob hoc ipsum ciuitate a filio huius Q. Fuluii Nobiliore.

CICERO

AN censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudatum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos, & Parrhasios fuisse? honos alit artes: omnesque incenduntur ad studia gloriae; iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in neruorum, uocumque cantibus; igitur & Epaminodas, princeps medio iudicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque, aliquot ante annis, cum in epulis recusasset liram, habitus est indoctior, ergo in Graecia musici floruerunt; discabantque id omnes; nec, qui nesciebat, factis excultus doctrina putabatur. In summo apud illos honore geometria fuit: itaque nihil mathematicis illustrius. at nos metiendi, ratiocinandi, utilitate huius artis terminauimus modum. at contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum. nam, Galbam, Africanum, Laelium doctos fuisse, memoriae traditum est, studiosum autem eum, qui hos aetate anteibat, Catonem, post uero Epidum, Carbonem, Gracchos, deinde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum, aut nihil uicino Graecis cederetur.

EXPLANATIO

AN censemus & probat exemplo. Quid pingeret, & Fabius uir consularis aedem Salutis pinxit, quae Clauis principatu exulta est, & propter artem uocatus est Fabius Pictor. Laudem non inuenit ex pictura: propterea Romani unum solum pictorem habuerunt hominem nobilissimum, pictura defuit in eo. POLYCLETOS, & Parrhasios & Cum de patribus loquatur, malim, ut est in antiquo libro, Polygnoros, & Parrhasios, nam Polycletem statuarium ignorat nemo. Polygnorum autem, pictura clarum, Cicero ipse in Bruto, Plinius, Quintilianus, Plutarchus, Aelianus, Pausanias, Aristoteles etiam in arte poetica nominat. Haec Paullus pater. HONOS ALIT ARTES: Proverbium: ad quod alludit Martialis: Sint Maecenates, non deerunt Flacce Marones, Virgiliumque tibi uel tua rura dabunt. Et Val. Maximus, Virtutis, inquit, uberrimum alimentum est honor. IACENT & negliguntur. NERVORVM, & id est chordarum, quae sunt ex neruis. FIDIBVS praeclare cecinisse? Citharae scilicet chordis canoris. Virgilius, Threicia fretus cithara, fidibusque canoris. Dicimus canere fidibus, & ludere fidibus. THEMISTOCLES. Huius uirtute, & consilii Perseus nauali proelio uictus rex Xerxes Graecia excessit. Scribunt historici Cimonem in cena apud Laomedontem non inuitum decantasse: ex quo laudatus est, praepositusque Themistocli, quod ille neque cantare, neque fidibus didicisset, uerum amplissimam opulentissimamque rem se scire facere iactasset. Tantum enim antiquis illis temporibus apud Graecos uenerationis musicae fuit, ut idem musici, & uates, & sapientes iudicarentur. MATHEMATICIS. Hoc nomine astronomiae, arithmeticae, geometriae, musicae peritos intellige. At nos metiendi, ratiocinandi. Discrimen inter Mathematicos, Latinos, & Graecos, metiendi, in geometria: ratiocinandi, in arithmetica. At contra Oratorem? Ars digna uisa Romanis, quae excoleretur. Oratorem ponit pro orationis eloquentia. Hos aetate anteibat. sic Phil. IX. Aetate illos anteiret. De Off. lib. 2. Anteire ceteros uirtute. GRACCHOS, & Tiberium, & Caium, ambo eloquentes: uerum & doctior, & eloquentior fuit Caius, qui erat natu minor.

CICERO

PHILOSOPHIA iacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum: quae illustranda, & excitanda nobis est; ut, si occupati profuimus aliquid ciuibus nostris, prosumus etiam, si possumus, otiosi, in quo eo magis nobis est elaborandum, quod multum iam esse Latini libri dicuntur, scripti inconsiderate ab optimis illis quidem uiris, sed non satis eruditis fieri autem potest, ut recte quis sentiat, & id, quod sentit, politere eloqui non possit: sed, mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & litteris itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit, praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti uolunt. Quare, si aliquid oratoriae laudi nostra attulimus industria; multo studiosius philosophiae fontes aperimus, e quibus etiam illa manabunt.

EXPLANATIO

Nec ullum habuit lumen, & scriptorem illustrem, copiosum, & ornatum: & ideo eloquentia caruit. Ut si occupati & in laboribus defensionum, in muneribus senatoriis, in senatu, & in foro. PROFVIMVS ostendit hoc loco Cicero se esse patriae suae studiosum. OTIOSVS in hoc liberiori otio, a rebus forensibus, uir, n. doctus plura in otio conficit, quam reliqui in negotio. Eo magis nobis est elaborandum, & ostendit, literate se uelle tractare philosophiam. FERI AUTEM POTESIS Mallem, Ferri autem potest, paullo, n. uidetur aptius. Haec Paullus pater. RECTE quis sentiat, & recte bene teneat, praecepta uitae inueniat. POLITE & eleganter.

Suos libros ipsi legunt cum suis & cum similibus. Similes habent labra lactucas. In docti scriptores, indocti lectores. LICENTIAM scribendi & licenter scribere, est negligere ornatum, & nullam rationem gere de declationis. & hi scriptores lectorem necant, non reficiunt, ILLA & oratoria.

C I C E R O

SEd ut Aristoteles, uir summo ingenio, scientiae copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere & prudentiam cum eloquentia iungere: sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, & in hac maiore & uberiore arte uersari. hanc enim perfectam philosophiam semper iudicauimus, quae de maximis quaestionibus copiose posset, ornateque dicere. in quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus: ut nuper, tuum post discessum, in Tusculano, cum essent complures mecum familiares, tentari quid in eo genere possem. ut enim antea declamitabam causas; quod nemo

me diutius fecit: sic haec mihi nunc senilis est declamatio. ponere iubebam, de quo quis audire uellet: & id aut sedens, aut ambulans disputabam. itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem liberos contuli. febat autem ita, ut, cum is, qui audire uellet, dixisset, quid sibi uideretur, tum ego contra dicerem. haec est enim, ut scis, uetus, & Socratica ratio, contra alterius opinionem differendi, nam, ita facillime, quod ueri simillimum esset, inueniri posse, Socrates arbitratur. Sed, quo commodius disputationes explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur, ergo ita nascatur exordium.

E X P L A N A T I O

SEd ut Aristoteles & comparatio; in inuersione Aristoteles philosophus orator factus est, e contra Cicero ex rethore uult philosophus fieri. PRUDENTIAM, & philosophiam. UBERIORE arte & philosophia. HANC enim perfectam philosophiam & quae scilicet uariarum disciplinarum cum facundia amplecteretur cognitionem. GRAECORVM more & illorum enim industria excitati Romani, ad eloquentiam adiecerunt animum. DECLAMITABAM & Declamitare est crebro exercere clamores oratorios. NUNC senilis & in hac senectute mea minore contentione instituta. PONERE iubebam & affirmatiue sci licet, uel negatiue. AUT sedens & Socratis more. AUT ambulans & Aristotelis more. unde Peripatetici. περιπατῶν enim Graeci ambulationem uocant. SCHOLAS & sermones otij, uel comentationes. etenim ἀπὸ τῆς σχολῆς, ab otio nominatae sunt Scholae, SOCRATICA ratio, & a Socrate instituta, a Platonice, & Aristotelice retenta, VERI simillimum & Ex Academicorum doctrina loquitur, qui nihil affirmabant.

C I C E R O

AVDITOR. Malum mihi uidetur esse mors. MARCVS. Iis ne, qui mortui sunt, an is, quibus moriendum est? A. Vtrisque. M. Est igitur miserum, quoniam malum. A. Certe. M. Ergo & ij, quibus euenit iam, ut morerentur, & ij, quibus euenturum est, miseri. A. Mihi ita uidetur. M. Nemo ergo non miser. A. Prorsus nemo. M. Et quidem, si tibi instare uis, omnes, quicumque nati sunt, erunt ue, non solum miseri, sed etiam semper miseri. nam, si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset; neminem tu quidem eorum, qui uiuerent, exciperes: moriendum est enim omnibus: esbet tamen miseriae finis in morte. quoniam autem etiam mortui miseri sunt; in miseriam nascitur sempiternam. necesse est enim miseros esse eos,

qui centum millibus annorum ante occiderunt, uel potius omnes, quicumque nati sunt. A. Ita prorsus existimo. M. Dic quaeso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Coccyi fremitus, transuetio Acherontis, mento summam aquam attingens sibi enectus Tantalus? num illud,

— quod Sisyphus uersat,
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum?
fortasse etiam, inexorabiles iudices, Minos, & Rhadamanthus? apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius; nec, quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. haec fortasse metuis, & iccirco mortem censeres esse sempiternum malum.

E X P L A N A T I O

MAIUS mihi uidetur esse mors. & propositionis inuersionem facere oportet, & dicere, Mors mihi uidetur esse malum. Mihi uidetur: decorum indicat haesitatio: nullam habet pertinaciam. Iis ne, qui mortui & Instituti Ciceronis est, progredi ad personalem quantitatem uniuersalem. UT morerentur, & qui scilicet mortui sunt, QUIBUS euenturum est, & id est, morituri. ITA uidetur. & quod mortui, & morituri miseri. SI tibi constare uis, & si constanter quod ais, affirmare uis. ERUNT ne, & qui adhuc nascuntur. SEMPER & id est, omni tempore NAM, si solos eos diceres miseros, & Inquiri, quae sit causa miseriae,

riae, adhuc usurpans haesitationem. MISERIAE *finis in morte*. ? Sic Lucanus: Mors ultima poena est, Nec metuenda uiris. Et Caesar apud Sallustium, Mortem cuncta mortalium mala dissoluere & aerumnarum requiem esse in miseris, ac luctu statuit. & Aristoteles in Ethicis, omnium tremendorum finem esse. NUM *te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus*, ? suscipit Cicero disputationem a caussis fabulosis. propter quas mors fortasse multis uideatur malum. De his Ouidius ex opinione Pythagorae: Quid Stygia, quid tenebras, quid nomina uana timeris, Materiem uatum? & Seneca ad Marciam: Luserunt, inquit, ista poetae, & uanis nos agitantur terroribus. *triceps Cerberus*: trium capitum canis, quem Erebi custodem finxere. Pindarus centum ait habere capita: at Hesiodus quinquaginta. De hoc, & alijs, uide Virgil. in VI. & Ouid. in IV. Multum quidem differunt Fabula & Falsitas: quia haec rem ponit, quae uere non est: sed fabula ueritatem rei tegit & uelat, quippe uera sententia, falsa scripto. COCYTUS ? fluuio infernalis, a luctu dicti. TRANSVECTIO ? transnauigatio. ACHERONTIS ? fluuij item infernalis, tristitiam significantis, quem Charonis portitoris cymba ferruginea, manes trajicere finguntur. TANTALVS ? ? Iouis & Plotidis Nymphae apud inferos, perpetua fame & siti afflictus: nam poma superne ad os pendentia capere non ualet, nec fugientes aquas deprehendere, in quibus demersus est. Sisyphus ? cogitur idem saxum semper uoluere, sursum mittere, & rursus excipere HILVM ? quidquam. Hilum etiam est, quo granum fabae coniungitur siliquae. MINOS, & Rhadamanthus ? ? duo iudices apud inferos, quibus tertium adiungunt Aeacum. GRAECOS iudices ? fuerunt enim Graeci iudices illi. DEMOSTHENEM ? ? oratorum Graeciae columen, & decus. MAXIMA corona ? umbrarum, & daemonum circumfistentium multitudinem.

CICERO

A ADEO ne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu haec non credis? A. Minime uero. M. Male hercule narras: cur, quae so? A. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. quis enim non in eiusmodi caussa aut quid negotij est, haec poetarum, & pictorum portenta conuincere? M. At qui pleni sunt libri philosophorum contra ista ipsa differentium. A. In parte sane. quis est enim tam excors, quem ista moueant?

M. Si ergo apud inferos miseri non sunt; ne sunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorsus existimo. M. Vbi ergo sunt ij, quos miseros dicis? aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt. A. Ego uero nusquam esse illos puto. M. Igitur ne esse quidem. A. Prorsus isto modo: & tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sunt.

EXPLANATIO

CVR, quae so? ? Hoc ab Auditoris persona ad Marcum transfusi: illud autem. Quia disertus esse possem, a Marco ad Auditorem: recte, ne, an secus, aliorum sit iudicium. Haec Paullus pater. Si contra ista dicerem ? ostendendo, haec poetica ficta esse. QVIS tum excors. ? Huc pertinet illud Inuenalis: Esse aliquos manes, & subterranea regna, Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lauantur. VBI ergo ? Inuestigatio, ut uniuersaliter concludat de loco. NUSQUAM esse non possunt ? alicubi sunt. Ex Epicureorum sententia, qui interitui corporis putabant coniunctum esse interitum animae, autumat discipulus, mortuos nusquam esse miseros tamquam morte omnibus sensibus extinguatur. sine quo non est miseria. sed nusquam esse, & miserum esse, sunt inter se pugnantia.

CICERO

MIA M mallet Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. A. Qui tandem? M. Quem esse negas, eundem esse dicis: ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse. A. Non sum ita hebes, ut ista dicam. M. Quid dicis igitur? A. Miserum esse, uerbi causa. M. Crasum, qui illas fortunas morte dimiserit; miserum Cn. Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus; omnes denique miseros, qui hac luce careant. M. Reuolueris eodem. sint enim oportet, si miseri sunt. tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. si igitur non sunt, nihil possunt esse: ita ne miseri quidem sunt. A. Non

dico fortasse etiam, quod sentio. nam istud ipsum, non esse, cum fueris, miserrimum puto. M. Quid miserius, quam omnino numquam fuisse? ita, qui non dum nati sunt, quia non sunt, miseri iam sunt: & nos ipsi, si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus, ante quam nati. ego autem non commemini, ante quam sum natus, me miserum. tu, si meliore memoria es, uelim scire, ecquid de te recordere. A. Ita iocaris, quasi ego dicam eos esse miseros, qui nati non sunt, & non eos miseros, qui mortui sunt. M. Esse ergo eos dicis. A. Immo, quia non sunt, cum fuerint, eos miseros esse.

EXPLA

EXPLANATIO

ITA *bebes*, & obtusi, & crassi ingenij **M. CRASSVM**, & illum omnium Quintium post Sullam ditissimum, cuius opes in proverbium abierunt. Hic negabat diuitem esse, nisi qui reddito annuo legionem tue-ri posset. **S**I igitur non sunt, & Plato: *ὁ δὲ οὐκ ὄν, οὐδὲ τῆς εὐφροσύνης ἀντιπαύσεται*, interroganti Alexandro Magno, plures ne essent uiui, quam mortui, respondit philosophus, uiuentes plures esse, quia mortui non sunt. **E**CQV *id de te recordere* & uenusta Ciceronis irrisio.

CICERO

M PUGNANTIA *te loqui non uides? quid enim tam pugnat, quam non modo miserum, sed omnino quidquam esse, qui non sit? an tu, egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Seruuliorum, Metellorum sepulcra uides, miseros putas illos? A. Quonia me uerbo premis, posthac non ita dicam, miseros esse, sed tantum miseros, ob id ipsum, quia non sunt. M. Non dicis igitur, miser est M. Crassus, sed tantum, miser M. Crassus. A. Ita plane, M. Quasi non necesse sit, quidquid*

isto modo pronuncies, id aut esse, aut non esse, an tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur. omne pronunciatum (sic enim, mihi in praesentia occurrit, ut appellarem aetiaqua: utar post alio, si inuenero melius) id ergo est pronunciatum, quod aut uerum, aut falsum esse dici. cum igitur dicis, miser M. Crassus; aut hoc dicis, miser est M. Crassus; ut possit iudicari, uerum id falsum ne sit; aut nihil dicis omnino.

EXPLANATIO

PORTA *Capena* & Hanc *ἀπὸ τοῦ καπῶν*, id est a sepulcris dictam uolunt. Et fuit initium haec porta uiae Appiae. **CALATINI**, & Atilius Calatinus primo Punico bello Carthaginensium praefidia deiecit ex munitissimis Siciliae ciuitatibus magnam hostium classem superauit. **P**REMIS, & id est occupas. **I**STO *modo* & isto genere propositionis, **D**IALLECTICIS & praeceptis artis differendi. **I**MBUVS & instructus ne elementa quidem Dialectices tenes. **T**ranslatio a ligneis uasis, quae, cum succum imbiberint, uisui instructa sunt, & imbuta dicuntur. **P**RONVNCIATVM & Aliquando Effatum, Profatum, & Proloquium dicitur.

CICERO

M AGE, iam concedo non esse miseros, qui mortui sunt; quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse: quid? qui uiuimus, cum moriendum sit, non ne miseri sumus? quae enim potest in uita esse incurditas, cum dies & non dies cogitandum sit, iam iamque esse moriendum? **M**. Ecquid ergo intelligis, quantum mali ex humana conditione deieceris? **A**. Quoniam modo? **M**. Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam & sempiternum malum haberemus in uita, nunc uideo calcem; ad qua cum sit decursum, nihil sit praete-

rea extimescendum, sed tu mihi uideris Epicarmi, acuti, nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. A. Quam? non enim noui. M. Dicam, si potero, Latine. scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in graeco Latine. A. Et recte quidem. sed quae tandem est Epicarmi ista sententia? M. Emori nolo: sed, me esse mortuum, nihili aestimo. A. Iam agnosco Graecum: sed, quonia coegisti, ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse: perforce, si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem.

EXPLANATIO

ECQV *id ergo intelligis, & an non igitur aliquid intelligis. CALCEM, & Vt aliquando Verticem pro lummo, sic Calcem hic pro extremo positum intellige, seu fine, termino, & meta, scilicet miseriae, doloris, & metus, inimo pro ipsa morte, ad qua cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum. Seneca lib. XIX. epist. feminini ostendit esse generis, & ait, quae creta in circo aetate sua dicebatur, ab antiquis Calcem esse dictam. Vnde Cicero de Rep. Ab ipsa calce eius interpellatione reuocari. Non igitur, ad calcem peruenire, ab humano corpore ductum est. EPICARMI, & Siculi, poetae comici, perquam docti hominis, a quo etiam multi philosophi sumserint. **N**EC *insulsi* & non sine sale, poetae lepidi, facti, humani. **V**T *Siculi*, & ut fere Siculi sunt. **E**MORI *nolo*: & *ἄποθαινέν, ἢ τεθνήσκαι, οὐ μοι διαφέρει.**

CICERO

M. IAM *istuc quidem nihil negotij est: sed etiam maiora molier. A. Quo modo hoc nihil negotij*

est? aut quae tandem sunt ista maiora? M. Quoniam, si post mortem nihil est mali, ne mors quidem est malum;
S
cui

cui proximum tempus est post mortem, in quo nihil esse concedis. ita ne moriendum quidem esse malum est, id est enim, perueniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur. A. Verius ista, quaeso, haec enim spinosiora prius, ut confitear, me cogunt, quam ut assentiar. sed, quae sunt ea, quae dicis te, maiora moliri. M. Ut doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem. A. Non postulo id quidem, aucto tamen audire, ut enim non efficias, quod vis; tamē, mors ut malum non sit, efficias. sed nihil te interpella-

bo: continentem orationem audire malo. M. Quid, si te rogauero aliquid, non ne respondebis? A. Superbi id quidem esset; sed, nisi quid necesse erit, malo ne roget. M. Geram tibi morem, & ea, quae vis, ut potero, explicabo, nec tamē quasi Pythius Apollo, certa ut sint, & fixa, quae dixerō, sed ut homunculus unus e multis, probabilia coniectura sequens, ultra enim quo progrediar, quam ut veri similia uideam, non habeo. certa dicent ij, qui & percipi ea posse dicunt, & se sapientes esse profitentur.

EXPLANATIO

Nihil negotij? difficultatis, laboris. **MAIORA** & utiliora ad uitam instituendam, grauiora ad mortē contemnendam. **MOLIOR**, & magno conatu animo uoluo. Magna promissione Cicero Auditorem excitat, ut alacrius disputer. **SPINOSIORA** & Stoicorum disserendi genus spinosum appellat: nupte neglectum, sed acutum, in quo saepe offendere contingat. **ME COGUNT**, & esse aliquando propter concessa magis habent necessitatem, quam assensionem: quia arte superant, & non ueritate. **AUERO** & desidero. **UT ENIM NON EFFICIAS** & persuadeas, concludas **QUOD UIS** & nimirum, Mortem esse bonum. **EFFICIES** & probabis. **CONTINENTEM** & continuam, perpetuam, sine interpellatione. **QUID SI TE ROGAUERO** ostendit, quo genere argumentorum sit usus, et qualem auditorem habere uelit: non pertinacem, non stulte contentientem. **PYTHIUS** & ἄπο τοῦ πυθιάγειοθαι. id est, ab interrogando Pythium dictum fuisse Apollinem, cuius oraculum Delphis omnium celeberrimum existit. Nam & apud Ennium ipse Pythius Apollo dicit se esse eum, unde sibi omnes consilium experant suarum rerum: quos inquit mea ope ex incertis certos, compotesq. consilij dimitto. **VERISIMILIA** & quae Platonici probabant: cum ueritatem inueniri posse diffiderem. **PERCIPIT EA POSSE** & Aristoteles lib. 2. de caelo & mundo: Enunciare, inquit, de omnibus, & praetermittere nihil, signum uideri potest magnae stultitiae.

CICERO

A. TV, ut uidei: nos ad audiēdū parati sumus. M. Mors igitur ipsa, quae uidei notissima res esse, quid sit, primum est uidentum. sunt enim, qui discessū animi a corpore putent esse mortem. sunt, qui nullū censeant fieri discessum, sed una animum & corpus occidere, animumq. cum corpore exstingui. Qui discedere animum censet, alij statim dissipari, alij diu permanere, alij semper. quid sit porro ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissenso est. alij cor ipsum animum uidetur: ex quo excordes, uacordes, concordēsq. dicuntur: & Nafica ille prudens, sibi cōsul, Corculū; & Egregie cordatus homo, catus Aelii Sextus.

Empedocles animum esse censet, cordi suffusum sanguinem. alij pars quaedam cerebri uisa est animi principatum tenere. alij nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem esse animum: sed alij in corde, alij in cerebro dixerunt animi esse sedem, & locum: animum autem alij animam, ut fere nostri declarant, nominari. nam & agere animam, & afflare dicimus, & animos, & bene animatos, & ex animi sententia. ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis uidetur. sed haec quidem, quae dixi, cor, sanguinem, cerebrum, animam, ignem, uulgo: reliqua fere singuli, ut multi ante ueteres.

EXPLANATIO

UT uidetur & subaudi, facito. **UIDETVR notissima** & sensibus, usu scilicet, & Sensib. humanis. **SUNT n. qui discessum** & i. nigrationē, ut Platonici. **SUNT**, qui nullū & ut Epicurei. **ALII diu pmanere** & ut Stoici **ALII semper** & ita sentiunt Platonici. **ALII cor ipsum** & ut Romanis, ut nostris ciuibus. **EXCORDES**, & qui nullū habent animū. **VACORDES**, & qui animum habent ignauum. **CONCORDES** & in quibus animi est confensio. **ET Nafica ille prudēs** & de hoc in Bruto: Publium etiam Scipionem Naficam, qui est corculum appellatus: qui ē bis consul, & censor fuit, habitū eloquentē, maioris illius, qui sacra acceperit, filiū, dicunt. **Corculos & caros** Plinius in septimo uult apud Romanos intelligi, qui sapientia praefiterunt. Sed & Corculum quemadmodum Animula praeseferre uidetur uehementiā & magnitudinē amoris, & gratiae. **EMPEDOCLES** & Hic sanguineam esse animam statuit, & constare ex materia corporea, fortasse quia sanguine effuso perit uita. **Vnde Virgilius: Purpureā uomit ille animā:** Aliis pars quaedā cerebri uisa est animi principatū tenere, fortasse quod cerebrū laeso mens laeguescit. **ALII uero animum sentiunt** corpo-

corporis esse, & materiae expertem: sed sedem suam habere in corpore, tamquam hospitem in hospitio. Sed alij in corde, alij in cerebro. Hippocrates, Plato, & Galenus sentiunt uitalem uim animae esse in corde: in cerebro uero iam intelligentem, & sentientem. ANIMVM autem alij animam, ut fere nostri declarant, nominari. Olet mendum, ut fere nostri declarant. nec dubito, quin melius in antiquo libro: ut fere ipsum declarat nomen. nam &c. Haec Paullus pater. Ipse autem animus, ab anima dictus est. Sentiunt Latini, animum causam uitae esse quiddam uenti simile, & in corde sedem habere; & animosos, ac sapientes uiros dixere Cordatos fuisse, quia iustitia, spes, amor, & reliqui animi affectus sint circa cor. Hinc consequens uidetur, eosdem Latinos, qui dixere, Animum ab Anima, de corde intellexisse, cum animam nominarent. COR, sanguinem, cerebrum, & Addidi Sanguinem, ex antiquo libro, uel potius ex ipso Cicerone, dixit enim proxime: Empedocles animum esse censet, cordi suffusum sanguinem. Infra uero, Si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus. Et, Ne tam uegeta mens aut in corde, cerebro ue, aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat. Et, Non est certe nec cordis, nec sanguinis nec cerebri. In Lucullo etiam: Vtrum sit ignis, an anima, an sanguis? Haec Paullus pater. VVLGO ex sermone uulgi, ex opinione hominum. RESLIQVA de quibus dicendum est. MULTI ueteres. & physici sapientes, & philosophi.

CICERO

PROXIME autem Aristoxenus musicus, idemque philosophus, intentionem ipsius corporis quandam uelut in cantu, & fidibus quae harmonia dicitur; sic ex corporis totius natura, & figura uarios motus cieri, tamquam in cantu sonos. hic ab artificio suo non recessit, & tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo ante & dictum, & explanatum a Platone. Xenocrates animi figuram, & quasi corpus negauit esse, uerum numerum dixit esse, cuius uis, ut iam antea Pythagorae uisum erat, in natura maxima esset. eius doctor Plato triplicem finxit animam: cuius principia, id est rationem, in capite, sicut in arce, posuit; & duas partes separare uoluit, iram, & cupiditatem: quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem sub-

ter praecordia locauit. Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit; duobus Pherecratem quendam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane, frustra, & animalia, & animantes appellari; neque in homine inesse animum, uel animam, nec in bestia; uimque omnem eam, qua uel agamus quid, uel sentiamus, in omnibus corporibus uisus aequabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla sit, nec sit quidquam nisi corpus unum, & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae uigeat, & sentiat.

EXPLANATIO

PROXIME & aetate nobis proxima: quae non ita multis temporibus ante nos fuit. ARISTOXENVS musicus, & huius opinionem refellit Aristoteles. INTENTIONEM ipsius corporis quandam & De integritate uerbi, Intentionem, non liquet. intentio enim corporis cum harmonia quid habere simile? diceret, Incentionem: congruebat magis. Haec Paullus pater. QVAE & scilicet incentio propter uocem instrumentalem in cantu, quamquam & incensua tibia dicta est a M. Varro, uel intentio propter fides. dicimus enim neruos intendere. CIERI, & moueri, fieri. AB artificio & ab arte sua musica. Hanc similitudinem Plato tractat longe artificiosius in libris de Repub. atque etiam in Phaedone. XENOCRATES animi figuram, & quasi corpus negauit esse, uerum numerum dixit esse, & Liber Sigonij. Corpus negauit esse ullum, uerum numerum dixit esse. ego puto: Corpus negauit esse ullum, numerum dixit esse. nam Vllum negligentia describentium opinor in Verum esse conuersum. Praeterea, cur Verum numerum dicat? Numerum quidem satis est. Et in Lucullo: An ut Xenocrates, mens nullo corpore? Haec Paullus pater. PLATO triplicem finxit animam & Pulcherrima metaphora Plato quasi pater creator dicitur indicasse animam tres habere partes: nec est quod hic ne aliquod uanum excogitetur ex uerbo finxit. M. Varro animas hominum diuidit in octauas partes: quinque sunt quibus sentimus, sexta qua cogitamus, septima qua progneramus, octaua qua uoces mittimus. SEPARARE & locis, & membris corporis. DICAEARCHVS & Hic fuit Mesenius, & opinatus est hominum exordium nullum existisse, tamquam semper fuerit humanum genus. PHTHIOTAM & ex Phthia, ciuitate, quae fuit in Hellade, patria quoque Achillis. A DEUCALIONE & sub quo diluuium fuit. Is in Hellade etiam regnasse dicitur. ORTVM & genus suum, & hinc Dicaearchus maiorem auctoritatem assertioni suae fecit. FRVSTRA & temere, sine causa.

CICERO

ARISTOTELES, longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans & ingenio, & diligentia, cum quattuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia oriuntur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens cogitare eum, & providere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminisse, amare, odisse; cupere, timere, angere, laetari; haec, & similia eorum, in horum quattuor generum nullo inesse, putat: quintum genus adhibet uacans nomine; & sic ipsum animum *ὑπερθετικῶν* appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. Nisi quae me forte fugiunt, haec sunt fere omnium de animo sententiae. Democritum enim magnum quidem illum uirum, sed leuibus & rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittimus. nihil est n. apud istos, quod non atomorum turba conficiat. Harum sententiarum quae uera sit, deus aliquis uiderit; quae ueri simillima, magna quaestio est. utrum igitur inter has sententias diiudicare malimus, an ad propositum redire? *A.* Cuperem equidem utrumque, si posset: sed est difficile non confunderere, quare, si, ut ista non differamus, liberari mortis metu possimus, id agamus, sin id non potest, nisi hac quaestione animorum explicata; nunc, si uideatur, hoc, illud alias.

EXPLANATIO

PLATONEM semper excipio, & Passim enim Cicero magnificat Platonem: quem interdum diuinum, interdum philosophorum Deum appellat. **INGENIO** & naturae dignitate. **DILIGENTIA**, & studio, & cura inuestigandi ueri. **QUATTUOR illa genera principiorum** & elementa quattuor: scilicet igne, aere, aqua, & terra. **QUINTAM quandam naturam** & uocant quintam *οὐρανίαν* in scholis, quintam essentiam. **E qua sit** & unde ortum suum habeat. **COGITARE** & Haecenus ex Aristotele Animus est substantia profecta a quinta essentia, sequuntur ea, quibus ostenditur non esse ex quattuor elementis: sed ex quinta essentia. **Cogitare**: praesentia. **PROUIDERE**, & futura. **DISCERE**, & incognita. **DOCERE**, & cognita. **IN UENIRE aliquid**, & demonstrandum, probandum, concludendum. **MULTA alia**, & quae sunt rationis. **ὑπερθετικῶν** & De huius uocis intellectu, uide Iustinum Martyrem in oratione paraenetica. **NOUO nomine**, & noua nominis deriuatione. Plato enim ante Aristotelem uocat *ὑπερθετικῶν* id est perpetuum, & Aristoteles ex adiectiuo faciens substantiuum, uocat *ὑπερθετικῶν*, quod habeat quasi continuationem perfectam. Quidam *ὑπερθετικῶν* scribunt per *δ* propter pronunciationem. Quidam per *τ*, propter originem *τέλειος* enim significat perfectum. **LEUIBUS, & rotundis, corpusculis** & Haec Democriti opinio ex atomis refellitur a Cicerone lib. 2. de Nat. Deo. **VERA** & certa scientia comprehensa. **VERISIMILLIMA** & Quorum ueritas ab homine percipi non uerisimillima dicuntur. **Verisimillima** uero, quorum ueritas ex parte percipitur potest. **QUAESTIO** & disputatio, inquisitio. **DI IUDICARE** & utra sit uerisimillima. **AD PROPOSITUM** & ad quaestionem de morte. **SI POSSET**: & fieri. **CONFUNDERE**. & has duas quaestiones. **UT ISTA** & de ueritate sententiarum.

CICERO

M Quod malle te intelligo, id puto esse commo-
dius. efficiet. n. ratio, ut, quaecumque uera sit earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non sit, aut sit bonum potius. nam, si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus; certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si anima est, fortasse dissipabitur: si ignis, exstinguetur: si est Aristoxeni harmonia, dissoluetur. quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententijs omnibus nihil post mortem perire ad quemquam potest. pariter enim cum uita sensus amittitur. non sentientis autem, nihil est, ullam in partem quod intersit. reliquorum sententiae spem afferunt, si te forte hoc delectat, possit animos, cum e corporibus excesserint, in caelum quasi in domicilium suum peruenire. *A.* Me uero delectat: idque, primum ita esse, deinde, etiam si non sit, mihi tamen persuaderi uelim.

EXPLANATIO

MALLE te intelligo, & liberari metu mortis. **EARVM sententiarum** & earum definitionum. **ANIMVS**; & hominis proprius. **SI ANIMA** & quae homini communis est cum plantis, & beluis. **SI IGNIS**, & ignis enim materia destitutus exstinguitur. **SENSVS** & mali scilicet. **QUOD INTERSIT**. & molestum sit. **RELIQVORVM** & sapientum, & philosophorum: qui animas esse immortales affirmant. **SPEM afferunt**, & quod animam esse dixerunt immortalem. **IN CAELUM quasi in domicilium** & ad sedes beatorum. In VI. de rep. inquit Cicero, Hinc profecti, huc reuertuntur. Et Seneca in epist. Animam Scipionis in caelum ex quo erat, rediisse, persuadeo mihi. **PERSVADERI uelim**. & uerisimile uideri.

CICERO

CICERO

M. Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? eolue diligenter eius eum librum, qui est de animo: amplius quod desideres, nihil erit. **A.** Feci mehercule, & quidem saepius: sed nescio quo modo, dum lego, assentior; cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabatur. **M.** Quid hoc? das ne aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire? **A.** Do vero. **M.** Quid, si manent? **A.** Beatos esse concedo. **M.** Si intereant? **A.** Non

esse miseros, quoniam ne sint quidem. iam istuc coacti a te paullo ante concessimus. **M.** Quo modo igitur, aut cur mortem malum tibi uideri dicis, quae aut beatos nos efficiet animis manentibus, aut non miseros sensu carentes? **A.** Expone igitur, nisi molestum est, primum animos, si potes, remanere post mortem: tum, si minus id obtinebis, (est enim arduum) docebis carere omni malo mortem. ego enim istuc ipsum uereor ne malum sit, non dico carere sensu, sed carendum esse.

EXPLANATIO

NVM eloquentia? Interrogatio negans: quasi diceret, Non possumus certe. **EVM librum?** Hic Platonis liber Phaedon inscribitur. **AMPLIUS?** magis uerisimile. **QVOD desideres,** scire, **ASSENTIOR;** Per assensionem cognita approbamus, & tunc elabitur assensio, cum in approbatione non perleueramus. **BEATOS?** mortuos. **COACTI?** non assensione, sed concessione propositionis. **CARERE sensu,** mortuum esse. **SED carendum esse,** quia non mortem praeteritam, sed aduentantem concessi esse malum.

CICERO

M. AVCTORIBVS quidem ad istam sententiam, quam uis obtineri, uti optimis possumus; quod in omnibus causis & debet, & solet ualere plurimum; & primum quidem omni antiquitate: quae quo propius aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant uera, cernebat, itaque unum illud erat instum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu uitae sic deleri hominem, ut funditus interiret. idq. eum multis alijs rebus, tum e pontificio iure, & caerimonijs sepulcrorum intelligi licet; quas maximis ingenijs praediti nec tanta cura coluissent, nec uiolatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haesisset in eorum mentibus, mortem

non interitum esse, omnia tollentem, atque dolentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemq. uitae, quae in claris uiris, & feminis dux in caelum solet esse; in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen. ex hoc & nostrorum opinione, Romulus in caelo cum dijs agit aeuum, ut, famae assentiens, dixit Ennius: & apud Graecos, in deq. per lapsus ad nos, & usque ad Oceanum, Hercules tantus, & tam praesens habetur deus. hinc Liber, Semel natus, eademq. famae celebritate Tyndaridae fratres: qui non modo adiutores in proelijs uictoriae populi R. sed etiam nuncii fuisse perhibentur.

EXPLANATIO

AD istam sententiam, probandam. **OBTINERI?** persuaderi. **QVOD in omnibus causis?** id est, praestantiorum auctoritas, & in primis antiquorum apud bonos iudices in omnibus causis ualeat ad assentiendum. **QVO propius aberat?** quo uicinior erat. **AB ortu?** origine mundi. **ET diuina progenie?** crediti enim sunt primi illi homines a caelestibus essentis ortum duxisse. **FORTASSE?** assuetare non audet, Academicorum more. **INSTVM?** quasi natura infixum. **PRISCIS illis, quos Cascos?** Priscos Ennius uocauit Cascos illo uersu, Quam primum Caschi populi genere Latini. Hac uocatus est Papinius in Epigram. quod in adolescentem fecerat. **Ridiculum est, inquit,** cum te Cascum tua Casca dicit. **Et Manilius, Cascum duxisse Cascam non mirabile est. id est, uetulam nupsisse seni. Votem ipsam a Sabinis ad Oscos defluxisse tradidit Varro. ESSE in morte sensum,** mortuum manere. **NEQUE excessu uitae?** corporeae, qua fruimur. **FVNDITVS?** prorsus Metaphora est. **MAXIMIS ingenijs praediti?** scilicet maiores nostri. **HAESISSET?** id est, persuasum fuisset. **CLARIS?** uirtutis laude. **DUX in caelum?** Platonicum dogma est, Magnos uiros in caelum euehi: paruos & ignauos humi remanere. **IN ceteris?** obscuris, ignauis hominibus. **HVM I retineretur,** omnino libentius cum antiquo libro, Retineret, legeremus, sed, quo tamen offendat, quiddam adhuc remanet. Haec Paullus pater. **ET nostrorum opinione,** quae animos immortales tradit. **ROMVLVS in caelo?** De Romulo in caelum apto Lilius, Dionysius, Ouidius, & ceteri multa prodiderunt. **CVM dijs agit aeuum?** Ennianus uersus: Romulus in caelo cum dijs genitalibus aeuum Degit &c. **Genitales dij uocantur, qui praesunt rebus generandis,**

nerandis, qui fruges hominibus, & ipsam etiam uitam suppeditant. *Acuum*: quasi *aitiō* y semper existēs dicitur. *FAMAE assentiens* § Antiquitatis dogmati. *Et usque ad Oceanum*, § Atlanticum, ubi religiosissime colebatur Hercules apud Gades. *LIBER Semele natus*; § Bacchus uitis excolendae, ac uini inuentor, Liber dictus est, ac libertatis deus, quia beneficio uini a se inuenti humanus animus liberetur curis. Hinc etiam factum est prouerbiū, *Ε' ο' γ' ω' η' α' λ' η' θ' ο' α' ε'*, id est, *In uino ueritas*. Liberum hunc, siue Bacchū (nam plures fuere Bacchi) apte Cicero in exemplum adducit, agens de immortalitate animae, ut rei, quae sensui non subiicitur, fidem adstruat monstruosa Liberi natiuitas sensu perceptibilis: hunc enim unicum bis natum celebravit omnis antiquitas, & sacerdotum summū antistitem. Hucq. et spectare uidetur, quod proxime sequitur exemplum de Tyndaridis. *TYNDARIDAE fratres* § Castor scilicet, & Pollux. Hos geminos ouo ortos testantur ipsae antiquorum historiae: & post mortem, cum in deorum numerum fuissent relati, in proeliis uisos, atque uictoriam nunciaffe.

CICERO

QUID? Ino, Cadmi filia, non ne Leucothea nominata a Graecis, Matuta habetur a nostris? quid? totum prope caelum (ne plures persequar) non ne humano genere completum est? si uero scrutari uetera, & ex his ea, quae scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coneripsi illi, maiorū genium dī qui habentur, hinc a nobis profecti in caelum reperiuntur. quare, quorum demonstrantur sepulcra in Graecia: reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur mysterijs: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges. sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepissent, physica didicissent, tantum sibi persuaferant, quantum, na-

tura admonente, cognouerant; rationes, & causas rerum non tenebant; uisis quibusdam saepe muebantur, hisq. maxime nocturnis, ut uiderentur uī, qui uita excesserant, uiuere. Et porro firmissimum hoc afferrī uī detur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de dīs praua sentiunt (id enim uirioso more effici solet) omnes tamen esse uim, & naturam diuinam arbitrantur. neo uero id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. omni autem in re consensus omnium gentium lex naturae putanda est.

EXPLANATIO

QUID? Ino Cadmi filia § Ouidius: Leucothee Graeci, Matuta uocabere nostris. Haec est Aurora: quam quod secum afferat matutinam claritatem, dicta est Matuta. Haec Baccho ex sorore nepoti mammam praebuit. Ancillas perosa est, quia uirum cum, serua non habere suspicata sit. ideo ancillis aedem Matutae ingredi nefas fuit, apud Romanos. *MAIORVM gentium dī &c.* § praecipui dī, qui maiorem familiam ducunt. *HINC a nobis* § ex hominum numero. *QUONIAM es initiatus*, § edoctus, eruditus. *MYSTERIIS* § sacris arcanis: quibus initiati certiora de diuinis rebus tenere putabantur, quam uulgo sciri uile esset. *NATURA admonente*, § Naturam uocat naturae uim. *VISIS* § phantasmatis. *FIRMISSIMUM* § potentissimum, fortissimum, propter multitudinem opinantium. *IMBERIT* § docuerit. *DEORVM opinio*. § opinio de Diis. *DE dīs praua sentiunt*. § Introducunt enim multi Deos malos, & improbos. *MORE* § consuetudine. *Id* § hanc opinionem, sententiam. *COLLOCUTIO* § uulgaris sermo. *CONSENSVS* § uoluntatis. *INSTITVTIS* § proprii cuiusque ciuitatis. *LEX Naturae*, § Veritas ipsa secundum naturam, quae praescribit omnibus, quas res fugere, quas ue facere debeamus.

CICERO

QUIS est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos uitae commodis arbitretur? tolle hanc opinionem: luctum sustuleris, nemo enim maeret suo incommodo, doleri fortasse, & angur: sed illa lugubris lamentatio, fletusq. maerens ex eo, quod eum, quem dileximus, uitae commodis priuatum arbitramur, idq. sentire, atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione, nullaq. doctrina. Maximum uero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam indicare, quod omnibus curae sunt, & maximae quidem, quae post mortem futura

sint. serit arbores, quae alteri saeculo profint, ut ait Staius in Synepheobis, quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere? ergo arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet bacam ipse nunquam: uir magnus leges, instituta, remp. conseret. Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? Quid illud? num dubitas, quin Specimen naturae capi deceat ex optima quaq. natura?

EXPLANATIO

MAERET § Maeremus, in alterius incommodis. **DOLENT** § Dolemus ob praeterita, uel praesentia mala, siue corporis, siue animi. **ANGVNTVR** § Angimur, ob mala impendentia, & futura. **EX eo**, § subaudi, proficiscitur. **ATQVE haec** § mala, incommoda, quae putamus mortuos sentire. **TACITAM iudicare** § hoc est, tacite approbare immortalitatem animorum. **ALTERI saeculo** § nepotibus. **STATIVS in Synephebis** § Statii Caecilii poetae comoedia Synephebi, hoc est simul pubescentes, a duorum adolescentum argumento. **AD se** § ad sensum suum post hanc uitam. **REMP. conferet** § si est, ut uidetur, argumentum a minori; dubitari non licet, quin Cicero scripserit, Non serere mutatio quidem in litteris fere nulla. & sententia quasi iacens excitatur, ab interrogante enunciata. Eiusdem generis illud, Ergo miles facere poterit, doctus uir sapiensq. non poterit. Et: An Seythes Anacharses potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi non potuerunt? Et alibi saepe. Haec Paullus pater. **Conferet**: Serere arbores, proprium est. Serere leges, Metaphoricum. **PROPAGATIO nominis**, § quod scilicet nomen perpetuet familiam, ut puta Tullii, Tarquinij, Sciuolae, Porcij, Fabij. **DILIGENTIA**, § diligens cautio. **ELOGIA** § laudes hominum. **FVTVRA** § remansura, duratura, ex quibus post hanc uitam percepturi sumus uoluptatem. **SPECIMEN naturae** § imago ipsius naturae. **EX optima quaque natura** § ut pote, ex natura heroum, uirorum fortium, aliorum, qui se pro patria deuouerunt, & artificum: horum enim exempla proxime enumerat Cicero. Omnes autem artes, uel sunt theoreticae, positae in speculando; uel sunt practicae.

CICERO

QVAE est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur? abijt ad deos Hercules: numquam abijisset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi uiam munuisset. Vetera iam ista, & religione omnium consecrata: quid in hac rep. tot, tantosque uiros, ob remp. interfectos, cogitasse arbitramur? iisdem ne ut finibus nomen suum, quibus uita, termina retur? nemo umquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit (ne & uetera, & externa quaeram) mihi: sed nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futu-

rorum: idq. in maximis ingenijs, altissimisq. animis & existit maxime, & apparet facillime. quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus, & periculis uiueret? loquor de principibus. Quid poetae & non ne post mortem nobilitari uolunt? unde ergo illud?

Adspicite, o ciues, senis Enni imaginis formam:
Hic uestrum panxit maxima facta patrum.
mercedem gloriae flagitat ab ijs, quorum patres affecte rat gloria. idemque:
Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu Faxit. cur & uolito uiuui per ora uirum.

EXPLANATIO

IUVANDOS, tutandos, conseruandos § iuandos in comparando, tutandos in periculis, conseruandos omni tempore. Nemo enim sibi nascitur soli, sed nostri ortus partem sibi uindicant Patria, parentes, amici &c. ut alibi Cicero ait. **MVNIVISSET** § uirtute, laboribus suis. Ut enim immortalis fieret Hercules, tot labores, tot curas, tot aerumnas adiit. Hoc exemplo Cicero tacite ad uirtutem hortatur, & beneficentiam. **VETERA iam ista** § Antiquitatis, & maiorum nostrorum sunt huiusmodi exempla. **Vsurpari hoc potest de rebus auctoritate confirmatis, neque temere in controuersiam reuocandis.** **QVID in hac rep.** § Est interrogatio negans ob remp. interfectos terminasse nomen suum morte. **IMMORTALITATIS** § animorum otioso. **LICUIT esse otioso Themistocli**, § Potuit esse solutus a laboribus, & periculis Themistocles Atheniensium dux. **EPAMINONDAE**, § Thebanorum duci, de his ducibus plerique multati: sed in primis Aemilius Probus. **MIHI**: § Ciceroni. Respicit ad consulatum suum, quo pari difficultate, ac studio Catilinariam coniurationem oppressit. **AVGVRIVM** § Prouidentia, & spes futurorum, saeculorum. **INHAERET in mentibus** § Ilato in Axiocho: Εἰ μὴ τὸ θεῖον ὀψτως εἶναι πνεῦμα τῆ ψυχῆ. **MAXIMIS in genijs, fortissimisque**, § Maximo ingenio esse, est prudentiae. Altissimo animo esse, est fortitudinis. **QVO quidem** § augurio saeculorum futurorum. **Adspicite o ciues** § Epitaphium est Ennij, hexametro, & pentametro carmine. similiter & quod sequitur, Nemo me lacrimis decoret. **MAGINIS urnam**: § Formam & est in quibusdam libris; & omnino uidetur aptius, quam Imaginis urnam. Haec Paullus pater. **PANXIT** § cecinit. **GLORIAE** § commemorationis factorum. **AFFECERAT** § celebrauerat laudibus, uersibus gloriosis. **IDEM** § scilicet Ennius. **FAXIT** § faciat. **VOLITO uiuui** § Immortalitatem se quoque consecutum dicit.

CICERO

SED, quid poetas? opifices post mortem nobilitari uolunt. quid enim Phidias sui similem speciem inculsit in clypeo Minervae, cum inscribere non liceret?

Quid nostri philosophi? non ne in his ipsis libris, quos scribunt de contemenda gloria, sua nomina inscribunt? quod si omnium consensus, naturae uox est; omnesq.

nesq. qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui e uita cesserunt: nobis quoque idem existimandum est. & si, quorum aut ingenio, aut uirtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura

optima sint, cernere naturae uim maxime: ueri simile est, cum optimus quisque maxime posteritati seruiat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus.

EXPLANATIO

OPTIFICES & Artifices opera efficientes. Hoc discriminis est inter artificem, & opificem. Artifex est genus, Opifex est species. **PHIDIAS** & in ebore, marmoreq. sculpendo clarissimus, cuius multa apud Plinium metio. Verum, quod ad hunc locum attinet, uide apud Val. Max. capite de Cupiditate gloriae. **CVM** inscribere non liceret? Veritum erat fortasse, quia de religione aliquid decessisset, si idola uiderentur humana manu facta; uel saltem, ut ex operum perfectione artifices contenderent cognosci. Hinc apud Plinium uidere est: Nemo unquam potuit melius pingere, quam, Apelles. **Quid nostri philosophi?** Idem dicit in oratione pro Archia. **INSERIBUNT** & gloriae, & memoriae causa. **QVOD** si omnium consensus, naturae uox est; & conclusio copiosa totius argumentationis superioris.

CICERO

SED, ut deos esse natura opinamur; qualesq. sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium; qua in sede mancant, qualesq. sint, ratione discendum est. cuius ignorantio finxit inferos, easq. formidines, quas tu contemnere non sine causa uidebare. in terram enim cadentibus corporibus, hisq. humo testis; ex quo dictum est humari, sub terra censebat reliquam uitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt: quos auxerunt poetae. frequens enim confessus theatri, in quo sunt mulierculae, et pueri, monetur audiens tam grande carmen:

Adsum, atque aduenio Acheronte, uix, uia alta, atque ardua,

Per speluncas saxis struētas asperis, pendentibus,

Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.

tantumq. ualuit error, qui mihi quidem iam sublatus uideretur, ut, corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. animos enim per se ipsos uiuentes non poterant mente complecti: formam aliquam, figuramq. quaerebant. inde Homeri tota uexu: inde ea, quae meus amicus Appius exopauerat uia faciebat: in uicinia nostra Auerni lacus,

Vnde animae excitantur obscura umbra, aperto ostio Alti Acherontis, falso sanguine mortuorum imagines, has tamen imagines loqui uolunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonum ui, & figura potest. nihil enim animo uidere poterant: ad oculos omnia referrebant.

EXPLANATIO

QVA in sede & Quod sit domicilium ipsorum animorum. **RATIONE** & argumentando. **DISCENDVM** est, & nobis deinceps. **IN terram enim** causa iam huius timoris. **CADENTIBVS** & Quia in terram cadant, Cadauera uidentur esse dicta. **HVMO testis**, & sepultis. **ERRORES** & falsae opiniones. **FREQVENS confessus theatri**, & frequentia hominum in theatro: continens pro contento. **TAM grande carmen**: & Tragicum carmen, quod sequitur, cuiuscumque randem poetae sit, grande dicitur; propter grandem sonum, quod necessario fit, dum littera A octies aperto ore pronuntianda est: & propter frequentem sibilum in pronuntiatione litterae. s. ad quartam uicem repetitae: ea etiam referuntur in ipso carmine; quae maxime afficere possint audientes. **VIX** & cum magna fatigatione. **VIA** & per uiam. **ARVDA**, & difficili, in cuius difficultate animus ardeat, ob laborem, atque fatigationem. **CALIGO inferum** & obscuritas inferorum, apud quos omnia sint nigrantia. **TANTVMQ. ualuit error** & Est hoc loco defensio falsi dogmatis, sacris enim litteris sublatis, non poterat Cicero aliud cernere. Ergo ei ignoscendum est. **IAM** & nonstra scilicet aetate: quia homines astutiores facti, minus, minusque in dies metuebant inferorum terriculamenta, ut pote uana, & comenticia. **NON poterant** & superioribus aetatibus. **MENTE compelli** & in intelligere, percipere ratione, cognoscere. **QUAEREBANT** & fingebant. **INDE Homeri** & Homerus enim Odyss. l. ubi de manibus agit, fingit Vlysem ad inferos accessisse, & umbras allocutum esse. **NEXVIA**. mortuaria. **ARVIVS** & quem in augurum collegio collegam habuit Cicero, ut ipse testatur in lib. de diuinat. **Κρομάντεία** & diuinatio per mortuos. **IN uicinia nostra** & Arpinate. Non enim procul ab Arpino Ciceronis municipio. **AVERNI lacus** & In Campania apud Cumas lacus est Auernus, dictus quasi sine auiibus, quia auiibus imperuius, ut docuit Lucretius in sexto, Hunc ardua supercilia undique circumcludunt. Erant illic Stygius fons, Phlegeton amnis, & inferorum domicilia subterranea Plutoni dicata, ubi defunctorum uaticinia geri solita docent Homerus, & Maro. **M. Agrippam lucum Auerni succedisse**, dirutaq. subterranea fossa patefecisse omnia de manibus commenta fabulosa, Strabo in. v. est auctor. **APER TO ostio** & semper enim patet atri ianua Ditis. **ALTI Acherontis** & Hic fluuius inferorum Acheron quasi sine gaudio dictus, fingitur a Poetis. Diodorus prodidit Acherusiam Aegyptiorum fuisse paludem & inde Orpheum ad Graecos

cos transtulisse figmenta de inferis. VOLUNT Necromantici. PYLIMONVM uiz id est, facultate. NIHIL enim animo? Aperta hac expositione Cicero post argumentationem obscuriorem, atque animi fatigationem in horribilibus, relaxat intentionem auditoris, uiamq. sternit ad iucunda. nimirum, quia ostensus est ficta esse horribilia quae de inferis uera esse creduntur a popularibus.

CICERO

MAGNI autem est ingenij reuocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere. itaque credo equidem etiam alios tot saeculis disputasse de animis: sed, quod litteris exstet, Pherecydes Syrus primum dixit animos hominum esse sempiternos. antiquus sane: fuit enim meo regnante gentili. hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maxime confirmauit: qui cum, superbo regnante, in Italiam uenisset, tenuit magnam illam Graeciam cum honore, & disciplina, tum etiam auctoritate: multa saecula postea sic uiguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alij docti uiderentur. Sed recedo ad antiquos. rationem illi sententiae suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris, aut descriptionibus explicandum. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam uenisse, & in eadem cum aliis multis, tum Architam, Timaeumq. cognouisset, & didicisse Pythagoream omnia; primumq. de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse. quam, nisi quid dicis, praetermittamus, & hanc totam spem immortalitatis relinquamus. A. An tu, cum me in summam expectationem adduxeris, deseris? errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias scio, & quem ex tuo ore admiror, quam cum istis uera sentire.

tiac suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris, aut descriptionibus explicandum. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam uenisse, & in eadem cum aliis multis, tum Architam, Timaeumq. cognouisset, & didicisse Pythagoream omnia; primumq. de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse. quam, nisi quid dicis, praetermittamus, & hanc totam spem immortalitatis relinquamus. A. An tu, cum me in summam expectationem adduxeris, deseris? errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias scio, & quem ex tuo ore admiror, quam cum istis uera sentire.

EXPLANATIO

A SENSIBVS, & a iudicio sensuum. A CONSUEVDINE, & populari opinione. ab eis quae sentire consueuimus. ETIAM alios, & superiores. PHERECIDES Syrus, & Syro, insula Cycladum una. unde Syrius, ut Laertius quoque eum appellat, non Syrus auctore Stephano. SEMPI TERNO, & immortales. Meo regnante gentili. & Seruio Tullio, Romanorum Rege sexto, qui eiusdem Tulliorum generis fuit. Hinc Silius Italicus in octauo.

Tullius aetas reptabat in agmena turmas. Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto. Hoc igitur Tullio regnante Pherecydem Syrum uixisse, ostendit Cicero. TENVI T, & attentos habuit auditores. MAGNAM illam Graeciam, & conuincens pro contento positum est. Magna Graecia dicta est Italiae portio a Tarento usque ad Cumas, quae magnas habuit ciuitates a Graecis conditas. Illic docuit Pythagoras Samius, a quo etiam ferunt ipsum philosophiae nomen exortum. Nam, cum antea Sophi, id est sapientes appellarentur: hic interrogatus, quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum sapientiae, quoniam se sapientem profiteri arrogantissimum putauit. HONORE, & fama, laude, hominum celebratione. DISCIPLINA, & Pythagorica. De eo enim dicebantur, *Αυτός έπα*. Ipse dixit: nulla amplius haerebat dubitatio, simul ac ipse Pythagoras pronunciaisset. AVCTORITATE: & doctrinae. NULLI alij, & sapientes, praeter Pythagoreos. AD antiquos, & ad ipsum Pythagoram, & Pherecyden, & ad eos, qui Pythagoricis fuerunt proximi. DESCRPTIONIBVS, & delineationibus Mathematicis, quarum exempla sunt apud Platonem in Timaeo. IN Italiam uenisse, & nempe post obitum Socratis. ARCHITAM, & Tarentinum, in signem Mathematicum, quem auctorem decem praedicamentorum secutus est Aristoteles, & Plato introducit loquentem in sua disputatione de Vniuersitate. TIMAEVMQ. & hunc tantum fecit Plato, ut eius nomine etiam Dialogum ediderit. OMNIA, & praecepta Pythagorae. IDEM, quod Pythagoras, & id est, animos esse immortales. AT TULISSE, & redidisse in Phaedone, & in Timaeo. QVAM, & rationem Platoniam. NISI quid dicis, & nisi improbes, nisi recuses. SVMMAM expectationem, & spem immortalitatis. ERRARE mehercule cum Platone, & honestus error magnos duces sequentibus. Ex tuo ore, ex tua oratione, propter tuam dicendi facultatem, & laudem insignem. CVM istis, & qui putant animos mortales esse.

CICERO

M. MACTE uirtute: ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. Num igitur dubitamus, an, sicut pleraque, sic & hoc? quamquam hoc quidem minime, per suadent enim mathematici, terram in medio mundi sitam, ad uniuersa caeli complexum quasi puncti instar obtinere, quod *σέντρον* illi uocant: eam porro naturam esse quattuor omnia gignentium corporum, ut quasi partita habeant inter se, & diuisa momenta, ut terrena, & humida, suo pte nunt, & suo pondere ad pa-

res angulos in terram, & in mare ferantur; reliquae duae partes, una ignea, altera animalis, ut illae superiores in medium locum mundi grauitate ferantur, et pondere, sic hae sursum relictis lineis in caelestem locum subuolent; siue ipsa natura superiora appetente; siue quod a grauioribus leuiores natura repellantur, quae cum constent; perspicuum debet esse, animos, cum e corpore excesserint, siue illi sint animales, id est spirabiles, siue ignei, sublime ferri.

T EXPLA-

MACTE uirtute ꝛ augearis, ditescas, fortis animo. applaudentis est uox: qualis etiam apud Virgilium, Maete noua uirtute puer, &c. & Maete animo, apud Liuium, & Statium. **SICVT** pleraque ꝛ nos Academici dubitamus. **SIC & hoc** ꝛ de immortalitate animi. **PUNCTI** instar ꝛ Plinius: Non est aliud terra uniuersa, quam mundi punctus, haec est materia uitae nostrae, haec sedes. **OBTINERE** ꝛ locum suum. **ILLI** ꝛ Mathematici. **QUATTUOR** omnia gignentium corporum ꝛ elementorum, ex quibus omnia gignuntur. **MOMENTA** ꝛ proprias uires mouentes. **TERRENA**, & humida ꝛ subaudi, corpora. **ANIMALIS** ꝛ id est, aerea. **ILLAE superiores** ꝛ prioris loco nominatae, scilicet terrena, & humida. **SIC** haec ꝛ animales, & igneae naturae. **NATURA** ꝛ facultate naturali. **GRAVIORIBVS** ꝛ humidis, & terrenis. **LEUIORA** ꝛ animalia, spiritalia, & ignea. **QUAE cum consent** ꝛ probata sunt ex Timaeo Platonis. **CVM e corpore excesserint** ꝛ terreno, & humido: qui excessus nihil aliud est, quam mors. **Id est spirabiles**, ꝛ Fortasse hoc etiam suppositiuium, ab interpretante proximum uerbum, Animalis, inculcatum. Haec Paullus pater.

CICERO

SI uero aut numerus quidam sit animus, quod subtiliter magis, quam dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis, quam non intellecta natura: multo etiam integriora, ac puriora sunt, ut a terra longissime se efferant. Horum igitur aliquid animus est; ne tam uegeta mens aut in corde, cerebro ue, aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat. Dicaearchum uero cum Aristoxeno, aequali, & condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus. quorum alter ne condoluisse quidem unquam uidetur, qui animum se habere non sentiat: alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad haec transferre conetur. harmoniam autem ex interuallis sonorum nosse possumus, quorum uaria compositio etiam harmonias efficit plures: membrorum uero situs, & figura corporis uacans animo quam possit harmoniam efficere, non uideo.

EXPLANATIO

AUT numerus ꝛ quod quidem Pythagorici uoluerunt. **Aut quinta illa** ꝛ natura Aristotelis, quam essentiam & substantia posteriores Latini nominant. **NON nominata** ꝛ caruit enim illa essentia nomine usque ad, Aristotelem qui primae eam *ἐντελεχία* uocauit. **INTEGRIORA**, ac puriora sunt ꝛ animorum corpora. **HORVM igitur** ꝛ superiorum corporum, seu elementorum aeris, & ignis animus sit aliquid ut puta perennis motus Aristotelicus: uel numerus ille: quo concta desinebantur a Pythagora. **Ne tam uegeta mens** ꝛ tam prompta ad motum Horatius: Vegetusq. ad munia surgit. **Mens**: quae temporis momento tam multa percurrit. **EMPEDOCLEO sanguine** ꝛ Empedocles enim dixit animu esse cordi suffusum sanguinem. **QUORVM alter** ꝛ Dicaearchus. **NON sentiat**: ꝛ quia negabat esse animum. **ALTER** ꝛ Aristoxenus, hic, atque Dicaearchus fuere Aristotelis auditores. **Ad haec** ꝛ ad hanc quaestionem de substantia animi: de natura ipsius animi. **HARMONIAM** ꝛ consonantiam, uel consensum ex dissimilibus sonis, & uocibus moderatis. Ex interuallis ꝛ longis, & breuibus.

CICERO

SED hic quidem, quamuis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli; canere ipse doceat. bene enim illo pro uerbis Graecorum praecipitur: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* Illam uero funditus eijciamus indiuiduorum corporu, leuium, & rotundorum concursione fortuitam: qua tamen Democritus concalescitam, & spirabilem, id est animalem, esse uoluit. is autem animus, qui si est horum quattuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potissimum uideri uideo Panaetio, superiora capessat necesse est. nihil enim habent haec duo genera prouisi, & supera semper petunt. ita, siue dissipantur procul a terris, id euenit, siue permanent, & conseruant habitu suu; hoc etiam magis necesse est ferantur ad caelum, & ab his perumpantur, et diuidatur crassus hic, et coeret aer, qui est terrae proximus. calidior est enim, uel potius ardentior animus, quam est hic aer, quem modo dixi crassum, atque coeret u. quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra terreno principioru genere confecta, ardore animi concalescunt.

EXPLANATIO

HAEC quae de substantia animi disputantur. Aristoxeni audaciam coercet Cicero ingerentis se in tractationem rerum alienarum. **CANERE ipse doceat** ꝛ iuxta illud Horatianum, Quae medicoru sunt, tractant medici, tractant fabrilia fabri. **INDIUIDUORVM corporum** ꝛ Atomos dicit, quibus Democritus, & Epicurei animam constare uoluerunt. **FORTUITAM**: ꝛ quae temere fit. **Is autem animus**, ꝛ iam Cicero ex omnibus opinionibus meliorem accipit. **QUATTUOR generum** ꝛ quattuor elementorum. Ex quibus omnia corpora physica, naturalia. **CONSTAT**, ꝛ originem sumit. **SUPERIORA** ꝛ caelestia. **HAEC duo genera** ꝛ Aer, & Ignis. **PRONIS**, ꝛ quod uergat in centrum, ad quod prona sunt prudentia. **Sive dissipantur** ꝛ post hanc uitam animi. **CONCRETVS**, ꝛ compositus impurus: Nullum enim elementum purum est. **CONFECTA** ꝛ composita, constituta. **ARDORE** ꝛ qui corpus calefacit, & mouet.

CICERO

CICERO

ACCEDIT, ut eo facilius animus euadat ex hoc acre, quem saepe iam appello crassum, eumq. perumpat, quod nihil est animo uelocius, nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere. qui si permanet incorruptus, suiq. similis: necesse est, ita feratur, ut penetret, & diuidat omne caelum hoc, in quo nubes, imbres, uentiq. coguntur, quod, & humidum, & caliginosum est propter exhalationes terrae. quam regionem cum superauit animus, naturamq. sui similem

contigit, & agnouit; iunctus ex anima tenui, & ex ardore solis temperato, ignibus insistit, & finem altius se efferendi facit. cum enim sui similem & leuitatem, & calorem adeptus est; tamquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem mouetur; eaq. ei demum naturalis est sedes, cum ad sui simile penetravit: in quo nulla re egens aletur; & sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur, & aluntur.

EXPLANATIO

NIHL est animo uelocius; uno enim puncto temporis caelum omne collustrat, maria peruolat terras, & urbes peragrat. **P**ERMANET incorruptus, si proprium sedem habet, in qua permaneat incorruptus a contagione reliquorum elementorum, quemadmodum fenserunt primi illi meliores philosophi. **C**OGUNTUR, & condensantur. **E**XHALATIONES; euaporationes. **Q**UAM regionem; impuram, & crassam. **A**GNOUIT; recognitam comprobauit. Agnosimus enim ea, quae ante fuerunt nota. In agnoscendo est memoria, & memoriae comprobatio: sicuti in recognoscendo studium, & labor ea rursus sciendi, quae ante sciimus. **I**UNCTVS; compositus. **E**X anima tenui, & essentia, uel substantia, quam paullo superius naturam uocauit. **T**ENUI; facile quidem transmutabili **I**GNIBVS; insistit, & manet, in sede sua naturali. **T**AMQ. VAM paribus examinatus ponderibus, & tamquam aequilibratus grauitate. **Q**UIBUS astra sustentantur, & Plerique ueterum credidere sidera nutrim, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere Theologia nostra docet, essentiae diuinae speculationem esse proprium, & uerum animorum cibum, & ueram uoluptatem, quam speramus.

CICERO

CVMQ. corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoq. magis incendi, quod ijs aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupimus: profecto beati erimus, cum, corporibus relictis, & cupiditatum, & aemulationum erimus expertes: quodq. nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid uelimus, & uisere; id multo tum faciemus libentius, totosq. nos in contemplandis rebus, perspicendisq. ponemus: propterea quod & natura inest mentibus no-

stris insatiabilis quaedam cupiditas ueri uidendi; & orae ipsae locorum illorum, quo peruenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum caelestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt: haec enim pulchritudo etiam in patriam illam, & auitam, ut ait Theophrastus, philosophiam, cognitionem cupiditate incensam, excitauit. praecipue uero fruuntur ea, qui tum etiam, cum has terras incolentes circumfusi erant caligine, tamen acie mentis discernere cupiebant.

EXPLANATIO

QUODQ. nunc facimus; proprium enim est hominis, ueritatem inquirere, & inuestigare. **L**IBERIVS; minoribus impedimentis. **T**OTOSQ. nos; omne studium nostrum. **O**RAE; regiones. **P**ATRITAM illam, & auitam, & Recte, Patriam, non, Patriam, ut antea legebatur. id Nonii testimonio comprobatur, qui in uerbo Patria hunc locum recitat, & affert praeterea exemplum ex Varrone. Haec Paullus pater. **P**atriam illam, & auitam: a patris illis ueluti patribus, & auis, nobis tamquam per manus tradita. **P**RAECIPUE uero; iam uenit ad doctos, ad litteratos. Haec fere est sententia Diui Hieronymi: Quo doctiores in hoc saeculo homines fuerint, eo maiores percepturos uoluptates.

CICERO

ETENIM, si nunc aliquid asequi se putant, qui ostium Ponti uiderunt, & eas angustias, per quas penetravit ea, quae est nominata Argo, quia Argiui in ea delecti uiri Venti petebant pellem inauratam arietis; aut ij, qui Oceanum freta illa uiderunt, Europam, Libyamq. rapax ubi diuidit unda: quod tandem spectaculum fore putamus, cum rotam

terram ueri licebit, eiusq. cum situm, formam, circumscriptionem, tum & habitabiles regiones, & rursum omni cultu propter uim frigoris, aut caloris uacantes; nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae uidemus. neque enim est ullus sensus in corpore: sed, ut non solum physici docent, uerum etiam medici, qui ista aperta, & patefacta uiderunt, uiae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae.

T 2

EXPLA-

EXPLANATIO

ALIVID § magni, aliquid uoluptatis, & gloriae. OSTIVM Ponti § fauces ponti Euxinij : quae Thracius Bosporus nuncupatur, a traiectu Ionis in uaccam deformatae. De Argonautis apud Latinos abunde cecinit Valerius Flaccus. PENETRAVIT ea § Nauis. PELLEM inauratam arietis § Colchici, quo fabulantur Phrixum traiecisse Hellepontum. SPECTACVLVM § de caelesti domicilio. SITVM, § scilicet, in mundi centro. CIRCVMSCRIPTIONEM § amplitudinem finitam. HABITABILES regiones § propter contemperationem frigoris, & caloris. ISTA aperta, & patefacta § per anatomen.

CICERO

ITAQVE saepe, aut cogitatione, aut aliqua ui morbi impediti, apertis, atque integris & oculis, & auribus, nec uidemus, nec auimus: ut facile intelligi possit, animum & uidere, & audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi; quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, & adsit. Quid, quod eadē mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae numquam quinque

nuncijs animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, ut idem omnino iudex solus esset. atque ea profecto tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum quo natura fert, liber animus peruenerit. nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est; tamen terrenis, concretisq. corporibus sunt inter saepea quoddam modo.

EXPLANATIO

COGITATIONE, § de re aliena Nisi id agat, § id cogitet: id moliat, id conetur. ET adsit § oportet animum adesse cogitationibus. QUID, quod § Nunc dillerit de rebus, quae sensus movent QVINGVE nuncijs § sensibus. QVO natura fert, § ad caeleste domicilium.

CICERO

CVM autem nihil erit, praeter animum; nulla res obiecta impedit, quo minus percipiat, quale quidque sit. Quamuis copiose haec diceremus, si res postularer, quam multa, quam uaria spectacula animus in locis caelestibus esset habiturus. quae quidem cogitans, soleo saepe mirari non nullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem admirantur, eiusq. inuētori, & principi gratias exsultantes agunt, eumq. uenerantur ut deum. liberatos enim se per eum dicunt

grauissimis dominis, terrore sempiterno, & diurno, ac nocturno metu. quo terrore & quo metu? quae est anus tam delira, quae timeat ista, quae uos uidelicet, si physicanon didicissetis, timeretis?

Acherontia templa, alta orci, pallida Leti, obnubila, obsita tenebris loca, non pudet philosophum in eo gloriari, quod haec non timeat, & quod falsa esse cognouerit?

EXPLANATIO

INSOLENTIAM § impudentiam. NATVRAE cognitionem § Physicam doctrinam. ET principi § Epicuro. VT deum § irridet Cicero impudentiam eorum. QVAE uos uidelicet, § ad irrisionem additur, Videlicet, ut etiam illud, Id populus curat scilicet. ACHERONTIA &c. § Ennii carmen hoc est de quo M. Var. in. III. Linguae Latinae.

CICERO

EX quo intelligi potest, quam acuti natura sint, qui haec sine doctrina credituri fuerint. Praeclarum autem nescio quid adepti sunt, qui didicerunt, se, cum tempus mortis uenisset, totos esse perituros. quod ut ita sit; (nihil enim pugno) quid habet ista res aut laetabile, aut gloriosum? nec tamen mihi sane quidquam occurrit, cur non Pythagorae sit, & Platonis uera senten-

tia. ut enim rationem Plato nullam afferret, (uide, quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret. tot autem rationes attulit, ut uelle ceteris, sibi certe persuasisse uideatur. Sed plurimi contra nituntur, animosq. quasi capite damnatos morte multat. neque aliud est quidquam, cur incredibilis his animorum uideatur aeternitas, nisi quod nequeunt, qualis animus sit uacans corpore,

corpore, intelligere, & cogitatione cōprehendere. quae si uero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus: ut, si iam possent in homine uno cerni omnia, quae nunc testata sunt, casurus ne in conspectum uideatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.

EXPLANATIO

SINE doctrina & physica non imbuti. PRAECLARVM autem & ratio metus sublata, causa consolationis. DIDICERUNT & ab Epicuro. TOTOS & animo, & corpore. **U**T ita sit & etiam si esset. **N**IHIL enim pugno & Academica concessio. **L**AETABILE, aut gloriosum & Laetabile, quod possit laetitiam nobis afferre. immortalitatem enim animorum hi negant. quae uel ipsi naturae humanae, (nedum nunc Theologiae nostrae) repugnat. **G**loriosum: propter doctrinae magnitudinem, grauitatem, & excellentiam. **O**CCURRIT & obstitit, impedimento est. **A**TTVLIT, & in Phaedro. **V**ELLE ceteris, & optasse ceteris, propter utilitatem uitae. **S**IBI certe persuasisse & propter ueritatem. **S**ED plurimi & Haecenus contemptio aduersariorum: sequitur iam causa erroris. **P**lurimi: Epicurei, & Diagoraei. **C**APITE & capitali supplicio. **F**UGIANT aciem. & oculorum, uisum.

CICERO

HAEC reputent isti, qui negant animum sine corpore se intelligere posse: uidebunt, quem in ipso corpore intelligant. **M**ibi quidem, naturam animi inueni, multo difficilior occurrit cogitatio, multoq; obscurior, qualis animus in corpore sit tamquam alienae domui, quam qualis, cum exierit, & in liberum caelum quasi in domum suam uenerit. si enim, quod numquam uidimus, id quale sit, intelligere non possumus: certe & deum ipsum, & diuinum animum, corpore liberatum, cognitione complecti non possumus. **D**icaearchus quidem, & **A**ristoxenus, quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse dixerunt. **E**st illud quidem uel maximum, animo ipso animum uidere: & nimirum hanc habet uim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.

EXPLANATIO

REPUTENT isti & Diagoraei, & Epicurei. **T**AMQVAM alienae domui & scilicet, insidens. **D**ICAEARCHVS & Haecenus contra Epicureos. nunc contra Dicaearchum.

CICERO

NON enim, credo, id praecipit, ut membra nostra, aut staturam, figuram ue noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego, tibi dicens hoc, corpori tuo dico. cum igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. nam corpus quidem quasi uas est, aut aliud quod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. hunc igitur nosse, nisi diuinum esset; non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic, ut tributum deo sit. sed, si, qualis sit animus, ipse animus nesciat; dic, quaeso, ne esse quidem se sciet? ne moueri quidem se? ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita est in sexto libro de Rep.

EXPLANATIO

EST illud & ad cognitionem animi. **A**NIMO ipso & hominis. **E**T nimirum & obiter exponit Cicero, quid sit seipsum nosse. **U**T se quisque noscat & Plinius Chiloni Lacedaemonio, uni ex septem Graeciae sapientibus, sententiam hanc adscribit, quam litteris aureis Delphis conseruauit. Itaque se ipsum nosse, est animi sui aeternitatem nosse. quamquam hoc praeceptum referri potest ad alia complura, ut scilicet homo nouerit facultates ut pro his faciat expensas: ut nouerit uires, ne maiora uiribus aggrediatur. **I**D agitur a te. & a praestantissima tui natura. **N**ISI diuinum & bonum. **A**CRIORIS & acrior enim est mens Dei, quam hominis. **U**T tributum Dei sit. hoc est, se ipsum posse cognoscere. & Frigidum, & plane superuacaneum: itaque, glossam opinatus, deleui. **C**um haec iam edidisset, scripsit ad me uir doctissimus, & integerrimae uitae, Germanus Genuenfis, monachus S. Benedicti, coniecturam nostram ueteris libri testimonio comprobati. **H**aec Paullus pater.

CICERO

CICERO

QUOD semper mouetur, id aeternum est, quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde; quando finem habet motus, uiuendi quoque finem habeat necesse est. solum igitur, quod se ipsum mouet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moueri quidem desinit, quin etiam ceteris, quae mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. principij autem nulla est origo. nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re aliena sci potest. nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. quod si numquam oritur, nec occidit quidem umquam. nam principium exstinctum. nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit: siquidem necesse est a principio oriri omnia. ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se mouetur. id autem nec nasci potest, nec mori. uel concidat omne caelum, omnisque natura consistat, necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur.

EXPLANATIO

SEMPER mouetur } sempiternum habet motum. **AGITATUR** } mouetur. **QUOD se ipsum mouet** } ueluti humanus animus. **NULLA est origo** } aliter enim principium iure dici non posset, nisi ab aliis. **NEC uim** } uolentiam.

CICERO

CUM pateat igitur aeternum id esse, quod se ipsum moueat: quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimatum est enim omne, quod pulsus agitur externo. quod autem est animatum, id motu ciatur interiore, & suo. nam haec est propria natura animi, atque uis: quae si est una ex omnibus, quae se ipsam semper moueat; neque nata certe est, & aeterna est. Licet concurrant plebei omnes philosophi: (sic enim ij, qui a Platone, & Socrate, & ab illa familia dissident, appellandi uidentur) non modo nihil numquam tam eleganter explebunt, sed ne hoc quidem ipsum quam subtiliter conclusum sit, intelligent. Sentit igitur animus se moueri: quod dum sentit, illud una sentit, se uis sua, non aliena, moueri; nec accidere posse, ut ipse umquam a se deseratur. ex quo efficitur aeternitas. nisi quid habes ad haec. **A.** Ego uero facile sum passus: ne in mentem quidem mihi aliquid contra uenire: ita isti faueo sententiae.

EXPLANATIO

INANIMVM } carens anima. **CIETVR** } mouetur. **PLEBEI** } paruae existimationis, minuti, & semidocti. **TI sua, non aliena,** } ex se, non aliunde. **AD haec.** } quod respondeas.

CICERO

M. Quid illa tandem? num leuiores censet? quae declarant inesse in animis hominum diuina quaedam: quae si cernerem quemadmodum nasci possent, etiam, quemadmodum interirent, uiderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, omnem denique membrorum, et totius corporis figuram uideor posse dicere, unde concreta, & quo modo facti sint. per animum ipsum, si nihil esset in eo, nisi id, ut per eum uiueremus, tam natura putarem hominis uitam sustentari, quam uitae, quam arboris. haec enim etiam dicimus uiuere. Item, si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret, aut refugeret; id quoque esset ei commune cum bestijs, habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium: quam quidem Plato recordationem esse uult superioris uitae.

EXPLANATIO

QUID illa tandem? } de quibus dicturus sum, scilicet, memoriam, inuentionem, excogitationem, ac multijugas disciplinas, quibus animos exultos haud dubie diuinos esse credimus. Est excitata expectatio rei magnae. **NVM leuiores censet?** } ad persuadendum, quam sint haec Platonis? antequam enim Cicero ipsa magna pronunciet, enumerat leuiores, & minora. **DIUINA quaedam:** } diuinas facultates, memoriam, inuestigationem, excogitationem, intelligentiam. **NASCI** } originem habere. **CONCRETA** } concretescunt res naturales; componuntur artificiosae. **DICIMVS uiuere** } anima, quae feminalis, quae uegetatiua, quae nutritiua appellatur. **SUPERIORIS uitae** } caelestis uitae: uitae ante hanc uitam.

CICERO

CICERO

NAM in illo libro, qui inscribitur Memnon, pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. ad ea sic ille respondit, ut puer: & tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eo perueniat, quasi geometrica didicisset. ex quo effici uult Socrates, ut, discere, nihil aliud sit, quam recordari. quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e uita. docet enim, quemuis, qui omnium rerum rudis esse uideatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed remini-

scendo recognoscere: nec uero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum, atque tantarum insitas, & quasi consignatas in animis notiones, quas inuicias uocant, haberemus, nisi animus, ante quam in corpus intrasset, rerum cognitione uigisset. cumq. nihil esset, ut omnibus locis a Platone differitur; (nihil enim ille putat esse, quod oriatur, & intereat, idq. solum esse, quod semper tale sit, qualem ideam appellat ille, nos speciem) non potuit animus haec in corpore inclusus cognoscere, cognita attulit.

EXPLANATIO

MEMNON, § ubi de uirtute disputat. **PUSIONEM** § puerum. **QUASI** geometrica didicisset. § Tam bene respondit puer, quam mathematicus, in ijs rebus, quas numquam ante didicerat. **EFFICI** § concludi. **NOTIONES** § mentis conceptus. **OMNIBVS** locis § sermonibus. **NIHIL** enim ille putat § pro nihilo habet omne, quod oritur, & interit, Id autem proprie esse putat, quod aeternum est. **IDEAM** § sic Plato appellat rerum formas immortales. **ATTULIT.** § secum in hanc uitam deportauit ex caelesti uita, & diuina quasi propagine.

CICERO

EX quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. neque ea plane uidet animus, cum tam repente in tam insolitum, tamq. perturbatum domicilium immigrauit; sed, cum se collegit, atque recreauit, tum agnoscit ea reminiscendo. ita nihil aliud est, discere, nisi recordari. Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet uim? aut unde? non quae-ro, quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta a iis, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta, qui modo fuit, Sceptius Metrodorus, quanta noster Hortensius: de communi hominum memoria loquor,

& eorum maxime, qui in aliquo maiore studio, & arte uersantur: quorum quanta mens sit, difficile est existimare: ita multa meminerunt. Quorsum igitur haec spectat oratio? quae sit illa uis, & unde sit, intelligendum puto. non est certe nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. anima sit animus, ignis ne, nescio: nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam: illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, siue anima, siue ignis sit animus, eum iurare esse diuinum. quid. n. obsecro te, terra ne tibi, aut hoc nebuloso, & caliginoso cae o aut sata, aut concreta uidetur tanta uis memoriae? si, quid sit hoc, non uides: at, quale sit, uides. si ne id quidem: at, quantum sit, profecto uides.

EXPLANATIO

ADMIRATIO tollitur: § tunc enim aufertur admiratio, cum causae cognoscuntur. **NEQUE** ea § has communes sententias. **DOMICILIUM** § corporis, quod est animi ueluti ergastulum. **COLLEGIT,** § progressu annorum. **AGNOSCIT** § rursus intelligit, & approbat. **MAIORE** § quam Plato, quam Socrates. **MEMORIAM** § omnibus hominibus communem. **ADMIROR.** § cum admiratione cognoscere cupio. **AUT** unde naturam? § Contra facta scribendi ratio imperitis hominibus occasionem praebuit ueteres libros saepe numero corrumpendi. Cuius generis multa notauimus, & correximus. hic primum mendae suspicionem mihi attulit Naturam, quod superuacaneum uidebitur, cum proxime dixerit, Vim, deinde, cum ad coniecturam confugissem, facile uidi, nulla omnino mutatione, ex, Vnde nam, (sic enim puto corrigendum) fieri potuisse, errorem creante similitudine, Vnde naturam. Naturam enim ita saepe ueteres librarij scribebant, Na. in nostro libro mendose, impressum, Aut unde? Haec Paullus pater. **SIMONIDES** § Hic memoriae artem primus ostendisse dicitur. **THEODECTES** § Aristotelis discipulus, qui tanta memoria fuit, ut semel auditis uersus quamlibet multos protinus reddidisse dicatur, & multarum etiam rerum obliuionem exoptasse. **CYNEAS** § Auctores sunt Plinius, Solinus, & Seneca, Cyneam postero die quam ingressus Romam fuerat, & equestrem ordinem, & senatum nomine quemque suo persalutasse. De eius uero eloquentia satis multa Plutarchus in Pyrrho. **CARNEADES** § Carneadem, atque Metrodorum in 2. de Orat. cum diuina prope essent memoria, arte
tamen

tamen illius usos praeclare scribit. *NOSTER Hortensius*: § Hortensio in Acad. tribuit uerborum memoriam maiorem, rerum Lucullo. *MAIORE studio*, § philosophiae. Et arte § quae studium requirit. *QUANTA* § quam late patens in cognitione rerum. *QUAE sit illa uis*, § memoriae. *NON est certe* § excludit concreta, quae intrare necesse est. *NESCIO*: § dubitat in simplicibus. *NEC me* § Haec sententia decorum habet Academicorum. *UT istos*, § reliquos philosophos. *FATERE nescire quod nesciam*. § Socraticum est, Hoc unum scio, quod nihil nescio. *ESSE diuinum* § in nulla re mortali consistere; sed originem diuinam habere. *Aut fata, aut concreta* § *Sata*, ab artifice aliquo: *Concreta*, a natura opifice. *QUID sit* § substantiae est. *Hoc*, § id est, memoriae uis. *NON uidet*: § non potes definire. *At quale sit, uidet* § actiones eius definire potes. *QUANTITATEM* § quam ample pateat.

C I C E R O

QUID igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod uas ea, quae meminimus, infundantur? absurdum id quidem: qui enim fundus, aut quae talis animi figura intelligi potest? aut quae tanta omnino capacitas? An imprimi quasi ceram animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente uestigia? quae possunt uerborum, quae rerum ipsarum esse uestigia? quae porro tam immensa magnitudo, quae illa tam multa possit effingere? Quid illa uis, quae tandem est, quae inuestigat occulta, quae inuentio, atque excogitatio dicitur? ex hac ne tibi terrena, mortaliq. natura, & caduca, concreta ea uidetur? aut qui primus, quod summae sapientiae Pythagorae uisum est, omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dissipatos homines congregauit, & ad societatem uitae conuocauit? aut qui sonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis litterarum notis terminauit? aut qui errantium stellarum cursus, progressiones, institutiones notauit? omnes magni: etiam superiores, qui fruges, qui uestitum, qui tellus, qui cultum uitae, qui praesidia contra feras inuenerunt; a quibus mansuefacti, & exculti, a necessarijs artificijs ad elegantiora defluximus. nam & auribus oblectatio magna parta est, inuenta, & temperata uarietate, & natura sonorum: & astra suspeximus, tum ea, quae sunt in fixa certis locis, tum illa non re, sed uocabulo errantia, quorum conuersiones, omnesq. motus qui animo uidit, is docuit similem animum suum eius esse, qui ea fabricatus in caelo esset.

E X P L A N A T I O

CAPACITATEM § substantiam amplam, locum aliquem amplum, & capax receptaculum. *FUNDVS* § Vatorum pars ima, in qua proprie resident, Fundus uocatur. Fundi etiam appellatio comprehendit uillas, aedes, stabula, hortos, & campum ipsum. *An imprimi quasi ceram*, § Tabellarum similitudine, memoriae naturalem uim exprimere nititur. *VESTIGIA* § effigies. *Et ad societatem uitae* § ad politicam uitam, *PAUCIS litterarum notis* § De litterarum inuentore magna est quaestio, alij a Mercurio alij ab Hebreis, alij apud Syros repertas uolunt. *Notis*: characteribus. *TERMINAVIT*? § finiuit. *ERRANTIVM stellarum cursus, progressiones, institutiones* § ex duabus dictionibus *Cursus*, *Progressiones*, feci coniecturam, legendum esse, *Institutiones*, non, ut antea *Institutiones*: ut similibus, & conuenientibus uerbis, sunt autem correctiones quaedam; quarum etsi ratio non explicatur, tamen, quibus iudicium est paullo subtilius, facile, cur factae sint, ipsi per se intelligunt. rudibus autem, & tardis, & iis, qui sibi omnia minutatim concedi, omniaq. tamquam mansa a nutrice inferi in os uolunt, ego quidem, ut satisfaciam, non laboro. Haec Paullus pater. *Stellarum cursus*: Astrologiae repertorem designat: id Atlanti quidam tribuunt. *ETIAM superiores* § qui hos aetate praecesserunt etiam magni. *NON ne, sed uocabulo errantia*, § Platonium est, negare stellas errare, qui hoc nomine impietatis Graecos accusat, quod de caelestibus corporibus mendacia dicere non uerentur. Hoc ipsum repetit Cicero lib. 2. de Nat. De. *Vocabulo*: uerbo solum errantia. planetae enim dicti sunt ab errando; cum eos uetustissimi modo festinantius ire, modo tardius, & modo stare perspicerent.

C I C E R O

NAM, cum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigauit, effectum idem, quod ille, qui in Timaeo mundum aedificauit, Platonis deus, ut tarditate, & celeritate dissimillimos motus uina regeret conuersio. quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine diuino ingenio potuisset imitari. Mibi uero ne haec quidem notiora, & illustriora carere uis diuina uidentur. ut ego aut poetam graue plerumq. carmen sine caelesti aliquo mentis instinctu putem fundere,

aut eloquentiam sine maiore quadam ui fluere, abundante sonantibus uerbis, uberibusq. sententijs. Philosophia uero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inuentum deorum? haec nos primiti ad illorum cultum, deinde ad ins hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemq. animi erudiunt: eademq. ab animo, tamquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media uideremus, prorsus haec diuina mihi uidetur uis, quae tot res efficit, & tantas.

E X P L A

EXPLANATIO

ARCHIMEDES ꝛ hic ueluti Deus terrenus mechanico artificio uitream sphaeram fecit, in qua mira conuersione dissimillimi circulorum motus uidebantur. de eadem meminit etiam in 2. lib. de nat. de. In sphaeram illigauit, ꝛ sphaera a Graecis dicitur, species in rotundo conformata, quae notis est globus. HAEC ꝛ quae dicturus sum. NOTIORA, ꝛ in quibus diuina uis magis cognoscitur, quam in superioribus exemplis. ILLUSTRIORA ꝛ magis posita in lumine hominum. AVT poetam ꝛ poetas numine, ac diuino quodam afflatu agitari testatur Plato in libro de furore poetico. Atque huc facit illud Ouidij: Est deus in nobis, agitante calescimur illo. GRAUE utrumque ꝛ hoc est, perpetuam eloquentiam continens, & doctrinam copiosam, cui nihil deficit sententiarum, uerborum, figurarum, & numerorum. SINE caelesti aliquo mentis instinctu ꝛ In 1. de Diuin. Negat sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse. quod idem dicit Plato in Axiocho: Ου μὲν τῶν οὐρανῶν οὐδὲ τῶν τοῦ οὐρανοῦ ἀστέρας τὴν γῆν τινα, καὶ ἔχρον, &c. MAIORE ꝛ quae scilicet excedat natuum instinctum. VT Plato ait ꝛ in Timaeo.

CICERO

QUID est enim memoria rerum, & uerborum? quid porro inuentio? profecto id, quod nec in deo quidquam maius intelligi potest. non enim ambrosia deos, aut nectare, aut iuuentate pocula ministrant lactari arbitror. nec Homerum audio, qui Ganymedem a dijs raptum ait propter formam, ut Ioui pocula ministraret. non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. fingeat haec Homerus, & humana ad deos transferebat. diuina, mallet, ad nos: quae autem diuina? uidere, sapere, inuenire, meminisse. ergo animus, qui, ut ego dico, diuinus, ut Euripides audeat dicere, deus est. & quidem, si deus aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. nam, ut illa natura caelestis, & terra uacat, & humore: sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. sin autem est quinta quaedam natura, ab Aristotele inducta primum: haec & deorum est, & animorum.

EXPLANATIO

AMBROSIA ꝛ cibus est deorum, & Nectar potus: poculorum autem ministram Hebem Iunonis filiam, poetae fingunt, quam hic Iuuentatem uocat. HOMERVM ꝛ Reprehenditur Homerus, qui in hymno ad Venerē, atque in Ithade scripsit Ganymedem propter formā corporis raptum. de eo in Menaechnis: Plautus: Dic mihi, numquid tu uidiisti tabulam pictam in pariete, ubi aquila catamitum raperet: aut ubi Venus Adonium? PROPTER formam, ꝛ animi causa, non formae. Xenophon in Conuiuio CVR Laomedonti ꝛ μνηστικὸν ἀμάρτυρον. nam Ganymedis Πυος, non Laomedon, pater fuit. Et humana ꝛ commoda. MALLEM, ꝛ transtulisse. QVI, ut ego dico, diuinus, ꝛ Qui, sine causa additum uideatur. Haec Paullus pater. NATURA caelestis ꝛ diuina. VTRIVSQ. harum rerum ꝛ terrae, & humoris. QVINTA quaedam natura ꝛ scilicet ἑντελέχεια. DEORVM est ꝛ continuata, & perennis motio, quae ἑντελέχεια nomine ab Aristotele expressa est.

CICERO

HANC nos sententiam secuti, his ipsis uerbis in consolatione haec expressimus. Animorum nulla in terris origo inueniri potest. nihil enim est in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse uideatur; nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod uim memoriae, mentis, cogitationis habeat; quod & praeterita teneat, & futura prouideat, & complecti possit praesentia: quae sola diuina sunt, nec inueniuntur unquam, unde ad hominem uenire possint, nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura, atque uis animi, seiuncta ab his usitatatis, notisq. naturis. Ita, quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod uult, quod uiget, caeleste, & diuinum est, ob eamq. rem aeternum sit necesse est. Nec uero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, & libera, segregata ab omni concretionē mortali, omnia sentiens, & omnia mouens, ipsaq. praedita motu sempiterno. Hoc e genere, atque eadem e natura est humana mens. Vbi igitur, aut qualis est ista mens? ubi tua, aut qualis? potes ne dicere? an, si omnia ad intelligendum non habeo, quae habere uellem; ne ijs quidem, quae habeo, mihi per te uili licebit? non ualet tantum animus, ut sese ipse uideat: at, ut oculus, sic animus, sese non uidens, alia cernit. non uidet autem, quod minimum est, formam suam. fortasse: quamquam id quoque: sed relinquamus: uim certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem uidet. haec magna, haec diuina, haec sempiterna sunt.

EXPLANATIO

His ipsis uerbis ꝛ quae sequuntur ex libro de Consolatione. in quo seipsum consolatus est, cum mirificis doloribus angeretur ob mortem filiae. **IN NATURIS** ꝛ scilicet elementorum quattuor. **SINGULARIS** ꝛ sola, unica humanae speciei. **EADEM ENATURA** ꝛ diuina. **UBI TUA**, ꝛ obiectionem diluit obiectione. **SI OMNIA** ꝛ argumenta. **AD INTELLIGENDUM** ꝛ quaestionem definiendam. **PER TE** ꝛ per tuas interrogationes.

CICERO

QVA facie quidem sit, aut ubi habitet, ne quaerendum quidem est, ut, cum uidemus speciem primum, candoremq. caeli, deinde conuersionis celeritate tantam, quantam cogitare non possumus; tum uicisitudines dierum, atque noctium, commutationesq. temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumq. omnium moderatorem, & duces solem, lunamq. accretione, & deminutione luminis quasi fastorum notantem & significantem dies, tum in eodem orbe, in XII. partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime seruantes, disparibus inter se motibus; nocturnaq. caeli formam undiq. sideribus ornatum; tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi uniuersi loco, duabus oris distantibus habitabilem, & cultum; quarum altera, quam nos incolumus, sub axe

posita ad stellas septem, unde
Horriser Aquilonis stridor gelidas molitur niues;
altera australis, ignota nobis, quam uocant Graeci ἀρκτὸς
ζῶα; ceteras partes incultas, quod aut frigore rigeant,
aut urantur calore; hic autem, ubi habitamus, non inter
mitti, suo tempore
Caelum nitescere, arbores frondescere,
Vites laetificas pampini pubescere,
Ramos bacarum ubertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scaterere, herbis prata conuestirier;
tum multitudinem pecudum partim ad uescendum, partim
ad cultus agrorum, partim ad uehedum, partim ad
corpora uestiendas; hominemq. ipsum quasi contemplato
rem caeli, ac deorum, ipsorumq. cultorem, atque homi
nis utilitati agros omnes, & maria parentia.

EXPLANATIO

VICISITVDINES ꝛ perpetuas successiones, mutuas. **QUADRIPARTITAS**, ꝛ in uer, aestatem, autumnum, & hiemem. **TEMPERATIONEM** ꝛ ad sanitatem. **MODERATOREM**, & **duces** solis & sol namque mundana omnia conficit accessu suo, & discessu. **QVASI fastorum notantem** ꝛ nam ad cursum lunae per singulos menses descripti sunt dies fasti, & nefasti. **ORE** ꝛ zodiaco. **QVINGVE stellas** ꝛ reliquos planetas. **EOSDEM** ꝛ perpetuos. **DISPARIBVS** ꝛ celeritate, & tarditate. **MYNDI uniuersi** ꝛ mundus caelum, ac terram complectitur. **DVABVS oris** ꝛ regionibus, plagis, una boreali, altera australi. **AD stellas septem**, ꝛ ad septemtrionem. **ARCTOZOA** ꝛ locatam ad axim contrariam. Est autem axis linea sphaeram diuidens ab uno ad alterum polum ducta, quamquam etiam axis accipitur pro ligno plaustrorum tereti, circa quod rotae uertuntur. **PVBESCERE**, ꝛ Metaphora est ab homine ad uires. Pubescit homo, cum ad uirilem aetatem proximus est. Pubescit uitis, cum botrus eius incipit dissolui in liquorem. **VBERTATE** ꝛ cum qua pondus. **FONTES scaterere herbis, prata conuestirier** ꝛ Hic Scaterere pronuntiandum est media correpta, ut anapaestus fiat, Scater' her, alioqui uersus claudicabit. Sic & Lucretius lib. v. Largifluum fontem scaterere, atque erumpere lumen. Et infra in eodem libro, Et partim plano scaterere, atque erumpere campo. Plautus etiam, opinor in Casina, Olere protulit, media contracta: Non omnes possunt olere unguenta exotica. Haec Paullus pater. **TVM multitudinem pecudum** ꝛ Haecenus de herbis, & plantis, nunc de animalibus. **CONTEMPLATIONEM caeli**, ꝛ Hinc etiam a Graecis ἀποθεωσι dictum uolunt. **PARENTIA**. ꝛ obtemperantia.

CICERO

HABC igitur, & alia innumerabilia cum cernimus, possumus ne dubitare, quin his praesit aliquis uel effector, si haec nata sunt, ut Platoni uidetur, uel, si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis, & muneris? sic mentem hominis, quamuis eam non uideas, ut deum non uides, tamen, ut deum agnoscis ex operibus eius, sic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omniq. pulchritudine uirtutis uim diuinam mentis agnoscito. In quo igitur loco est? credo equidem, in capite; & cur creda, asserre possum: sed de hoc alias: nunc, ubi ubi sit animus, certe quidem in te est. Quae est ei natura? propria puto, & sua.

sed fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id, de quo agimus. illud modo uideto, ut deum noris, etsi eius ignores, & locum, & faciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiam si eius ignores, & locum, & formam. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: quod cum ita sit, certe nec scerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrabi potest: nec interire igitur. est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac dirempus earum partium, quae ante interitum iunctioe aliqua tenebantur.

EXPLA-

EXPLANATIO

EX memoria ꝛ hominis. **I**n capite, ꝛ in cerebro. Est Platonis, & Hippocratis dogma, sedem animi esse in cerebro, quia ibi sit neruorum principium. **A**FFERRE POSSUM ꝛ ex phycis. **I**n omni autē cognitione ꝛ cognitionem hoc loco uocat certam opinionem. **P**LYMBEI ꝛ inertes, ac rudes, qui quouis argumento flectamur. elegans metaphora. **E**ARVM paruum, ꝛ scilicet, animae, & corporis.

CICERO

His, & talibus adductus Socrates, nec patronū quæsit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit; adhibuitq. liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia; & supremo uitæ die de hoc ipso multa disseruit; & paucis ante diebus, cum facile posset educi e custodia, noluit; & cum pæne in manu iam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, uerum in caelum uideretur ascendere. ita enim censebat, itaq. disseruit: duas esse uias, duplicesq. cursus animorum e corpore excedentium: nam qui se humanis uitis contaminassent, & se totos libidinibus dedidissent, quibus caecati

uel in domesticis uitis, atque flagitijs se inquinassent, uel in rep. uiolanda fraudes inexpiabiles concepissent, ijs deuium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum: qui autem se integros, castosq. seruauissent, quibusq. fuisset minima cum corporibus contagio, seseq. ab his semper seuocassent, essentq. in corporibus humanis uitam imitati deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere: itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinatione habere uideantur, quia, providentes quid in morte boni sit, cum cantu, & uoluptate moriantur; sic omnibus, & bonis, & doctis esse faciendum.

EXPLANATIO

His, & talibus adductus Socrates, ꝛ Disputationem de immortalitate animi concludi exemplis eorum, qui mortem contempserunt. De Socrate uide Platonē in Critone, Phaedone, & Apologia Socratis, & in 1. lib. de Oratore. **L**IBERAM contumaciam, ꝛ pertinacem constantiam homine libero dignā, nam Socrates capitis damnatus Critoni ostendenti nihil facilius esse quam illum de custodia eripi, constantissime in hoc perseverauit, ut mortem oppetere mallet, quam committere, ut, legibus uiolatis, iniustus uideretur. **M**ORTIFERVM illud ꝛ allatam in poculo cicutam: quam ait Plinius publica Atheniensium poena iniustam esse. **D**UAS esse uias, ꝛ Socraticum, & Platonicum est dogma: quod & Virgilius fecit ita cecinit in VI.

Hic locus est, partes ubi se uia findit in ambas,
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysiū nobis: at laeua malorum
Exercet poenas, & ad impia tartara mittit.

Addunt uiam dexteram ad solis exortum conuersam esse: arduam, & confragosam, alteram uero ad occasum: planam, & patentem. **C**ONTAGIO, ꝛ Plato in Axiocho: ὅτι μάλιστα μηδὲν ὀμίλειν τὸ σώματι, μηδὲ κοίτην. Et ibidem: Μὴ ἀπειθεῖαι τοῦ σώματος. In Catone. Et de Somnio Scipionis. **V**T Cygni, ꝛ Verba Platonis proxime reddidit, similitudine ostendens laetitiam morientium, uirorum bonorum. **C**V M cantu, ꝛ Plinius arbitratur cantum Cygnorum, qui in morte flebilis narratur, falsum esse.

CICERO

Nec uero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod ijs saepe usu uenit, qui acriter oculis desipientem solem intuerentur, ut ad specū omnino amitterent. sic mentis acies, se ipsum intuens, non numquam hebescit: ob eamq. causam contemplandi diligentiam amittimus. itaque dubitans, circumspiciens, haesitans, multa aduersa reuerens, tamquam ratis in mari immenso, nostra uehitur oratio. Sed haec & uetera, & a Graecis cis. Cato autem sic abiit te uita, ut causam moriendū nactum se esse gauderet. uetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare. cum uero causam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Ca-

toni, saepe multis: nae ille mediusfidius uir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit: nec tamen illa uincula carceris ruperit: leges enim uerant: sed, tamquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo euocatus, atque emissus, exierit. tota n. philosophorum uita, ut ait idem, commentatio mortis est, nam, quid aliud agimus, cum a uoluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quae est ministra, & famula corporis, cum a rep. cum a negotio omni seuocamus animū? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsam aduocamus, secum esse cogimus, maximeq. a corpore abducimus? secernere autem a corpore animum, nequidquam aliud est, quam emori discere.



EXPLANATIO

HEBESCIT: § ignoracione, haesitatione. Et a Graecis § tractata sunt. CATO autem § Quae haecenus dicta sunt, pertinent ad laudes Graecorum. Socrates enim fuit Graecus, & Atheniensis, Nunc Cicero affert exemplum Romanorum. Cato: minor, Vticensis. CAVSSAM moriendi § ne ueniret in conspectum uictoris, ne turpiter supplex esset, ne fieret seruus. HINC § reuita. CVM uero causa § Videtur aliquo pacto admittere, ut manus sibi ipse inferre aliquis possit: id quod a Platone minime concessum est, qui in Phaedone; Ουκ α' λογον μι' απολε' ανδρ' αποκ' τενηυ' α' δε'ιν, αφ'ιν αγαχην τινα ο' θεος' επιτεμει, ω' κ' περ' χει' την γω' ημιν' παρο'σαν. NAE § affirmatiua est particula: quam sequitur iusiurandum ut confidenter se loqui ostendat. Romani enim iurabant Mediusfidius, Ita me Dij. COMMENTATIO mortis est. § docet enim contemnere corporeas illecebras, & cupiditatum dulces insidias. nam, ut inquit Diuus Augustinus in lib. de spiritu, & anima, Anima, quae in corporibus uiuentes per dilectionem rerum uisibilem corporalibus imaginibus afficiuntur, a corporibus exeuntes, in eisdem imaginibus tormenta patiuntur. SEVOCAMVS animum? § απολευ' την ψυχην της του σώματος κοινονίας. Plato. SECVM esse § ψυχην αυ' την γήινου, Plato. SECERNERE a corpore animum, § χωριζεν' μάλιστα' από του σώματος την ψυχην, Plato in AXIOCHO. NEQV IDQVAM aliud est § Nequidquam pro Nihil, non probo: uix enim id fert Latini sermonis consuetudo. Nihil quidquam aliud est, habet Maffaei liber. placet: sic enim locutus est Terentius in Adelphis,

Nihil quidquam uidi laetius. Et Plautus in Merc.

Nihil, Charine, te quidem quidquam pudet. Haec Paullus pater.

CICERO

QVARE hoc commentemur, mihi crede, disiungamusq. nos a corporibus, id est cōsuescamus mori. hoc & cum illuc ex his uinculis emissi seremur, minus tardabitur cursus animorum, nam, qui in compedibus corporis semper fuerunt; etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ij, qui ferro uincti multos annos fuerunt, quo cum uenerimus, tum denique uiuemus. nam haec quidem uita, mors est: quam lamentari possem, si liberet. A. Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus: quam cum lego, nihil malo, quam has res relinquere; his uero auditis, multo magis. M. Veniet tempus, & quidem celeriter, & siue retardabis, siue properabis, uolat enim aetas: tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum uidebatur; ut uerear, ne homini nihil sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius, siquidem uel dii ipsi, uel cum dijs futuri sumus. A. Quid refert? adsumt enim, qui haec non probent. M. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam ulla uti ratione, ut mors tibi uideri malum possit. A. Qui potest, cum ista cognouerim? M. Qui possis, rogas? cateruae ueniunt contradicentium, non solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimi quisque contemnit: acerrime autem, deliciae meae, Diacarchus contra hanc immortalitatem differuit. is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci uocantur, quod Mitylenis sermo habetur; in quibus uult esse, animos esse mortales, Stoici autem usuram nobis largiunt, tamquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant. Num uis igitur audire, cur, etiam si ita sit, tamen non sit in malis? A. Ut uidetur: sed me nemo de immortalitate depellet.

EXPLANATIO

EX HIS uinculis § corporeis affectibus, & laboribus. VOLAT enim aetas § Horatius: Heu fugaces Postume Postume Labuntur anni.

QUID refert? § Quid obstat ad felicitatem, quod nati horum sit uerum, siue sit bonum. ADPVNT § in hoc nostro confesso Epicurei, & Stoici. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam ulla uti ratione: ut mors tibi uideri malum possit. § Neque sensus, neque locutio placet. quid enim sibi uult, Numquam te in hoc sermone dimittam ulla uti ratione? quis uero umquam sic locutus est, Numquam te dimittam ulla uti ratione? uerbum Dimitto, & Latinum est, & ueteribus usitatum, neque eodem modo semper, sed uarie, cum infinito autem numquam. itaque, etsi nihil immutauim, ne facerē id, quod faciendum non est, ut mihi plus tribuerem, quam ueteribus: tamen non dubito, quin ita legendum, & distinguendum sit: Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam, ulla uti ratione mors tibi uideri malum possit. Cum autem erroris originem quaererem, hanc reperi, quod particulam illam, Vti, quae hoc loco adiunctiua coniunctio est, lector opinatus infinitiuum esse modum a uerbo Vtor, cum superiore membro coniunxit: & ut hoc imperite, ita illud impudenter, quod Vt addidit de suo, ut aduerbium Ita, haberet, quo referretur: cum, Vti, pro, Vt esse positum, non intelligeret. Haec Paullus pater. CONTEMNIT: § Abest, & opinor, recte, hoc uerbum ab antiquo libro: ut illud, Doctissimus quisque, spectet ad uerbum Differuit. Haec Paullus pater. MITYLENIS § urbe Lesbi insulae. VSVRAM § longiorem usum. CORNICIBVS: § quibus Hesiodus nouem hominum aetates attribuit: propter quam temporis usuram ostendit Cicero, Stoicos habere cornices beatiore, quam homines.

EXPL

CICERO

C I C E R O

M. Laudo id quidem: etsi nihil nimis oportet cōfide-
labamus, mutamusq. sententiam clarioribus etiā in re-
bus: in his est enim aliqua obscuritas, id igitur si ac-
ciderit, simus armati. **A.** Sane quidem: sed, ne ac-
cidat, providebo. **M.** Num quid igitur est causae, quin
amicos nostros Stoicos dimittamus, eos, dico, qui aiunt
animos manere, e corpore cum excefferint, sed non sem-
per? **A.** Istos uero: qui, quod tota in hac causā diffi-
cillimū est, suscipiant, posse animum manere corpore
uacantem; illud autem, quod non modo facile ad cre-
dendum est, sed, eo concesso, quod uolunt, consequens,
id certe non dant, ut, cum diu permanferit, ne intereat.

M. Bene reprehendis; & se isto modo res habet. Cre-
damus igitur Panaetio, a Platone suo dissentienti.
quem enim omnibus locis diuinum, quem sapientissi-
mum, quem sanctissimum, quem Homerum philoso-
phorum appellat, huius hanc unam sententiam de im-
mortalitate animorum non probat. uult enim, quod
nemo negat, quidquid natum sit, interire: nasci autē
animos, quod declarat eorum similitudo, qui procreā-
tur; quae etiam in ingenijs, non solum corporibus, ap-
pareat. Alterā autem affert rationem: nihil esse, quod
doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autē
in morbum cadat, id etiam interiturum: dolore autem
animos; ergo etiam interire.

EXPLANATIO

LABAMVS, mutamusq. sententiam clarioribus etiam in rebus: in his est enim aliqua obscuritas. Puro re-
ctius hoc modo: Labamus, mutamusq. sententiam clarioribus etiam in rebus inest aliqua obscuri-
tas. Haec Paullus pater. **S**IMVS armati. rationibus nostris, meditatione, commentatione mortis, ser-
monibus de morte institutis. **D**IMITTAMVS: praetereamus in hac disputatione. **I**STOS uero: Haec
ad Auditoris personam retuli: illud inferius, Bene reprehendis, ad Marchum: idq. e Sigonii libro.
Haec Paullus pater. **D**IFFICILLIMVM est, ad probandum. **V**ACANTEM; solutum, diremptum. **C**RE-
DAMVS: a contrario. ostendit Platoni potius credendum. credere ne igitur debemus? **P**ANAETIO: Stoico, quem in lib. de off. imitari se non semel fatetur. **S**ANCTISSIMVM: inuiolabili auctoritate.
HOMERVM philosophorum: inter philosophos excellentissimum. sic & Macrobius Virgilium uocat Ho-
merum Mantuanum.

C I C E R O

Haec refelli possunt. sunt enim ignorantis, cum de
aeternitate animorum dicatur, de mēte dici, quae
omni turbido motu semper uacet, nō de partibus ijs, in
quibus aegritudines, irae, libidineq. uersentur: quas
is, contra quem haec dicantur, semotas a mente, & dis-
clusas putat. nam similitudo magis apparet in bestijs:
quarum animi sunt rationis expertes. hominum autem
similitudo in corporum figura magis exstat: & ipsi ani-
mi, magni refert, quali in corpore locati sint. multa
enim e corpore existunt, quae acuant mentem; multa,
quae obtundant. **A**ristoteles quidem ait, omnes inge-
niosos melancholicos esse: ut ego me tardiozem esse non
moleste feram. enumerat multos: idq. quasi constat, ra-
tionem, cur ita fiat, affert. Quod si tanta uis est ad ha-
bitum mentis in ijs, quae gignuntur in corpore; ea sunt

autem, quaecunque sunt quae similitudinem faciant:
nihil necessitatis affert, cur nascantur animi, simili-
tudo. omitto similitudines, uellem adesse posset Pa-
naetius. uixit cum Africano. quaerere ex eo, cuius
suorum similis fuisset Africani fratris nepos. facie
uel patris, uita omnium perditorum ita similis, ut esset fa-
cile deterrimus. cuius est similis P. Crassus, & sapiētis, &
eloquentis hominis, nepos; multorumq. aliorū, clarorū
uirorum, quos nihil attinet nominare, nepotes, & filij.
Sed, quid agimus? obliui ne sumus, hoc nunc nobis esse
propositum, cum satis de aeternitate dixissemus, ne si
interirent quidem animi, quidquam mali esse in morte?
A. Ego uero meminera: sed te, de aeternitate di-centem,
aberrare a proposito facile patiebar.

EXPLANATIO

IS, Plato. **S**EMOTAS: locis: nam irae sedes cor: Cupiditatis iecur: animi cerebrum. **I**n bestijs:
Iquam iu homine. **O**MNES ingeniosos melancholicos esse: Aristoteles xviii. lib. Probl. refert melanco-
licos fuisse Empedoclem, Socratem, & alios complures, qui ingenio ualuerunt, inibi q.
malancholia uino comparatur. **M**e tardiozem: ingenio. **A**FRICARO: minore. **A**FRICARI fratris
nepos: filius Q. Fabij Allobrogici, nepos Q. Fabij Aemiliani, qui frater Africani fuit: uterque enim Paulli
Aemilij filius: & alter ab Africani maioris filio, alter a Q. Fabio Maximo, Verrucosij filio est adop-
tatus. **M**ULTORVM Q. aliorum, Vide Val. lib. III. cap. 5.

CICERO

CICERO

M video te alta spectare, & uelle in caelum migrare, spero fore, ut contingat id nobis: sed fac, ut isti uolunt, animos non remanere post mortem: uideo nos, sit ita sit, priuari spe beatoris uitae; mali uero quid affert ista sententia? fac animum sic interire, ut corpus: num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? nemo id quidem dicit: etsi Democritum insinulat Epicurus: Democritici negant, ne in animo quidem igitur sensus remanet. ipse enim nusquam est, ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium? an, quoniam ipse animi discessus a corpore non sit sine

dolore? ut credam ita esse, quam est id exiguum? & falsum esse arbitror: & fit plerumque sine sensu, non nūquam etiam cum uoluptate: totumque hoc leue est, quae leuique est. fit enim ad punctum temporis, illud angit, uel potius excruciat, discessus ab omnibus ijs, quae sunt bona in uita, uide, ne a malis dici uerius possit, quid ego nunc lugeam uitam hominum: uere, & iure possum: sed quid necesse est, cum id agam, ne post mortem miseris nos putemus fore, uitam etiam efficere deplorando miseriozem? fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos, quantum potuimus, consolati sumus.

EXPLANATIO

VELLE in caelum migrare. § ad animae ueram immortalitatem aspirare. MALI uero § digreditur ad ostendendum nihil mali post mortem esse metuendum, etiam, si non sic animorum mortalibus. INSI-MVLAT § accusat, quasi tribuisset corpori sensum post mortem. Hoc leue § exiguum malum. AD PUNCTUM temporis § quo iam euolat anima. ILLUD angit &c. § Plato in Axiocho: Ἀλλοχέει δὲ δὸς τὴ ποικίλους περιαιτλεν ἴδν νοῦν, εἰ σερήσομαι τοῦ δὲ τοῦ φωτός καὶ τῶν ἀγαθῶν. VERE § possem lugere rationibus. IURE § propter miserum statum meum. IN eo libro § in Consolatione de obitu filiae Tulliolae.

CICERO

A MALIS igitur mors abducit, non a bonis, uerum si quaerimus. hoc quidem a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scolis dicere; quod multi, his auditis, mortem sibi consciscerent. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, cum nihil ei accidisset aduersi, e muro se in mare abiicisse, lecto Platonis libro. eius autem, quem dixi, He-

gestae liber est ἀποκαρτερῶν; quod a uita quidam per mediam discedens, reuocatur ab amicis; quibus respondens, uitae humanae enumerat incommoda. possem id facere, etsi mirus, quam ille, qui omnino uiuere expedire nemini putat. Omitto alios: etiam ne nobis expediat, qui, & domesticis, & forensibus solatijs, ornamentisq. priuati, certe, si ante occidisset, mors nos amalis, non a bonis abstraxisset?

EXPLANATIO

A MALIS igitur mors abducit, non a bonis? Plato in Axiocho: Ἡ τοῦ ξηῖ ἀπαλλαγῆ, κακοῦ τινός ἐστιν οἷς ἀγαθῶν μετὰ βολῆ, CYRENAICO Hegesia? De hoc meminit Val. lib. 119. cap. 9. de ui eloquentiae. AMBRACIOTAM Cleombrotum § ab Ambracia, Epiri urbe, olim Pyrrhi regia, ut inquit Linius, Cleombroti huius meminit etiam Ouidius in Ibin, & Lactantius Firmianus lib. 111. Αποκαρτερῶν § Titulus est libri, quo significatur Intolerantissimus. Plut. α' περὶ τῆς εἰν ἰδ' ἐκτρονα φίλος οργίας. ETIAMNE nobis expedit, § Est interrogatio affirmans. EXPEDIT § conducit. Ouidius Expedit esse deos, & ut expedit esse putemus. DOMESTICIS, & forensibus solatijs, § hoc dicit, ob amissam filiam, & actionem caularum forensium quae oppressa repub. intermissa est.

CICERO

SIT igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna uulnus acceperit. Metellus ille honoratus quatuor filijs: at quinquaginta Priamus, e quibus decem & septem iusta uxore natis. in utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est. Metellum n. multi filij, filiae, nepotes neptes in rogū imposuerunt: Priamum autem tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostis manus interemit. hic si, uis filijs, incolumi regno, occidisset,

— Adstante ope barbarica,
Tectis caelatis, laqueatis;
utrum tandem a bonis, an a malis, discessisset? tum profecto uideretur a bonis, at certe ei melius euenisset; nec

tam flebiliter illa canerentur:
Haec omnia uidi inflammari,
Priamo ui uitam enitari,
Iouis aram sanguine turpari.
quasi uero ista uel quidquam tum potuerit ei melius accidere. quod si ante occidisset, tamen euentum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum malorum amisit. Pompeio, nostro familiari, cum grauius aegrotaret Neapoli, melius est factum, coronati Neapolitani fuerunt. nimirum etiam Puteolani uulgo ex opidis publice gratulabantur. ineptum sane negotium, & graeculum, sed tamen fortunatum.

EXPLA-

EXPLANATIO

METELLVS ille honoratus quatuor filijs: } De felicitate Q. Metelli Val. lib. VI. cap. I. ostendit Ci-
cero raro contingens. At quinquaginta Priamus, } Sequitur iam exemplum contrarium. Quin-
quaginta: filijs. ad quos alludit Virgilius illo uersu: Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.
IUSTA uxore } Hecubam significat Legitimam uxorem. VSA in altero est. } exercuit in Priamo, quem
calamitosum postremo fecit. IN aram } Iouis Hercei confugisset custodiae suae causa. A STANTE ope
barbarica, } idest, florente imperio Phrygio. AN a malis, } certe a malis discessisset. MELIUS euenis-
set; } euita discedere. CANERENTVR: } in Tragoedijs, a Choro. HAEC omnia } Versus sunt Enniani
quos infra lib. III. fusius repetit. QVASI uero } Ciceronis iudicio reprehenditur Chori cantus flebi-
lis. ISTA uel } Ista ui, legendum esse, tum ipsa me sententia, tum similis admonuit locus in lib. de
Vniuersitate: ubi cum in omnibus uulgatis libris Vel cum eadem, legeretur, nos ante aliquot annos,
Vi cum eadem, ex Platone reposuimus. Error inde natus, quod Vel, pro Vi, ueteres scribebant. Haec
Paullus pater. POMPEIO, nostro familiari, } Meminit Cicero ad Atticum l. IX. & Plutarchus in eius
uita. Familiari: familiare est non quod est in familia, sed quod pertinet ad familiam, quasi gratus, quasi
domesticus. CORONATI } ad gratulandum: in signa honoris. INEPTVM } contemptio est philoso-
phica. haec enim reuera non sunt bona, sed opinione. ET Graeculum, } in adulationem compositum.
Graeci enim, ut inquit Curtius, ingenia habent temporalia.

CICERO

VTRVM igitur, si tum esse extinctus, a bonis re-
bus, an a malis, discessisset? certe a miseris. non
enim cum socero bellum gessisset: non imparatus arma
sumpsisset: non domum reliquisset: non ex Italia fu-
gisset: non, exercitu amisso, nudus in seruorum ser-
uum, & manus incidisset: non liberi destiti: non for-
tunae omnes a uictoribus possessae. qui, si mortem tum
obisset, in amplissimis fortunis occidisset; is, propaga-
tione uitae, quot, quantas, quam incredibiles hausit
calamitates? hac morte effugiuntur, etiam si non eue-
nerint, tamen quia possunt euenire. sed homines ea si
bi accidere posse non cogitant: Metelli sperat sibi quis
que fortunam. proinde quasi aut plures fortunati sint,
quam infelices: aut certi quidquam sit in rebus huma-
nis: aut sperare sit prudentius, quam timere. Sed hoc
ipsum concedatur, bonis rebus homines morte priua-
ri; ergo etiam carere mortuos uitae commodis, idq. esse
miserum? certe, ita dicant, necesse est. An potest is,

qui non est, re ulla carere? triste enim est nomen ipsum
carendi; quia subiicitur haec uis: habuit, non habet,
desiderat, requirit, indiget. opinor haec incommoda sunt
carentis: caret oculis, odiosa caecitas: liberi, orbitas.
ualet hoc in uiuis: mortuorum autem non uitae mo-
do commodis, sed ne uita quidem ipsa quisquam caret.
de mortuis loquor, qui nulli sunt. nos, qui sumus, num,
aut si cornibus caremus, aut pennis, sit qui id dixerit?
certe nemo. quid ita? quia, cum id non habeas, quod
tibi nec usu, nec natura aptum sit, non careas, etiam si
sentias te non habere. hoc premendum etiam atque e-
tiam est argumentum, confirmato illo, de quo, si mor-
tales animi sunt, dubitare non possumus, quia tantus
interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sen-
sus relinquatur. hoc igitur probe stabilito, & fixo, il-
lud excutiendum est, ut sciatur quid sit carere; ne re-
linquatur aliquid erroris in uerbo.

EXPLANATIO

SI tum } in illa gratulatione, & coronatione. CVM socero } C. Iulio Caesare, cuius filia nupserat
Pompeio. IMPARATUS } pecunia, milite, instrumento bellico. DOMVM } Romam, quae ei quasi
domus erat. FUGISSET: } audita fama Caesaris. INCIDISSET: } apud Ptolemaeum regem Aegypti.
EA } haec mala. NON cogitant } non metuunt. AUT sperare sit prudentius, } Ex Stoicorum sententia,
qui non minus flagitiosum esse statuunt sperare, quam timere. SED hoc ipsum } argumentum. CON-
CEDATUR } disputantibus. HAEC uis } fortunae. VIS uiolentus exitus, casus grauis. INCOMMODA }
consequentia mala. ODIOSA caecitas } Caecorum non est suauis usus, sed plerumque odiosus, sunt
enim suspiciosi, & molesti. VALET hoc } habet locum istud carere. NOS qui sumus, } in uita. AUT si }
Si, idest propterea quia. NEC usu, } utile sit. NATURA aptum } non naturale. ARGUMENTVM, } contrarium,
scilicet, mortuos carere. CONFIRMATO } conuoluo ui argumentorum.

CICERO

CARERE igitur hoc significat, egere eo, quod ha-
bere uelis, inest enim, uelle, in carendo: nisi cum
sic, tamquam in febris, dicitur, alia quadam notione uer-
bi. dicitur enim alio modo etiam carere, cum aliquid
non habeas, & non habere te sentias, etiam si id faci-

le patiare. carere enim malo, id non dicitur; non enim
esset dolendum: dicitur illud, bono carere; quod est
malum. sed ne uiuis quidem bono caret, si eo non indiget:
sed in uiuo intelligi tamen potest. regno carere, dici
hoc in te satis subtiliter non potest: posset in Tarquinio,
cum

cū regno esset expulsus: at in mortuo ne intelligi quidē potest. carere enim sentientis est: nec sensus in mortuo est: ne carere quidē igitur in mortuo est. quamquā, quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magnopere egere philosophia uideamus? quoties non modo ductores nostri, sed uniuersi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? quae quidem si timeretur, non L. Brutus, arcens cum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, etiam cum Tyrho nepos, se hostium telis obieciisset: non uno bello patria cadentes Scipiones Hispania uidisset, Paullum Aemilium Cannae, Venuis Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. num quis horum miser bo-

die? ne tum quidem potest spiritum extremum? nec. potest esse miser quisquā, sensu perempto. At id ipsum odiosum est, sine sensu esse odiosum, si id esset carere, cum uero perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit: quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat, nec sentiat? quamquam hoc quidem nimis saepe, sed eo quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis, qui enim satis uiderit, id quod est luce clarius, animo, & corpore consumpto, totoque animante deleto, & facto interitu uniuerso, illud animal, quod fuerit, factū esse nihil: is plane perspicit, inter hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem nihil interesse; nec pluris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum, quam, illo uiuo, ego fecerim Romam captā.

EXPLANATIO

CARERE igitur 3 Verbi Carere definitio, ex propriis confecta. **VELIS** 3 expetas, requiras. **VELLE** 3 uoluntas hominis uiui. **NOTIONE** 3 potestate. **QVOD EST MALUM** 3 ut morbus, paupertas. **SED IN UIUO** 3 Est obiectio Auditoris. **SVETILITER** 3 sapienter. **PHILOSOPHARI** 3 diligentius exquirere, & philosophorum more acute argumentari. **DVCTORES** 3 Verbum est poeticum, ostendens heroicās uirtutes. oratorum est dicere Duces. **CONCVRREVT** 3 id est, simul currerunt. **TYRANNVM**, 3 Traquinius Superbum. **EXPVLERAT**, 3 Roma. **IN PROELIO** 3 in congressu cum Arunte Tarquinij filio, ubi multis uulneribus uterque perijt. uide Liuium. **PATER DECII**, 3 Tres fuere Decij, pater, filius, & nepos: qui se deuouerunt immiseruntque in armatas hostium copias pro salute legionum Romanarum, Vide Liuium in IX. & in X. & in II. de fin. **HODIE** 3 post tot annos, iustra, saecula. **NE TUM QUIDEM** 3 in ipsis proelijs. **QVAMQVAM HOC** 3 argumentum nostrum. **SAEPE** 3 in hac disputatione. **CONTRACTIO** 3 dolor animi. **QVI ENIM** 3 Imitatus est locum Platonis in Axiocho: *αὐτὸν ἐπὶ τοῦ Ἀράκωντος, καὶ καλοῦ δέουτος πολεῖται*. **SATIS UIDERIT**, 3 argumētando, & disputando. **HIPPOCENTAVRVM**, 3 Est in fabulis Centaurorum genus ex equo, & homine conflatum. **AGAMEMNONEM** 3 qui ante multa saecula mortuus est. **INTERESSE** 3 quantum ad sensum. **CIVILE BELLVM**, 3 Pompeianum. **CAPTAM** 3 a Gallis.

CICERO

CVX igitur & Camillus doleret, si haec post tredecim & quinquaginta fere annos enētura putaret: & ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbe nostra potitur. an putem? quia tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus quotidie imminet, propter breuitatem uitae numquam longe potest abesse, quo minus in omne tempus reip. suisque consulat, & posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quare licet etiam, mortalem esse animum iudicantem, aeterna moliri, non gloriae cupidita-

te, quam sensurus non sit, sed uirtutis, quam necessaria gloria, etiam si tu id non agas, consequatur. Natura uero se sic habet, ut, quo modo initium nobis rerū omnium ortus noster afferat, sic exitum mors. quae ut nihil permittit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. in quo quid potest esse mali, cum mors nec ad uiuos pertineat, nec ad mortuos? alteri uulsi sunt, alteros non attingit. quam qui leuiorem facit, somni simillimam uolunt esse. quasi uero quisquam ita nonaginta annos uelit uiuere, ut, cum sexaginta consecerit, reliquos dormiat, ne sues quidem id uelint, non modo ipse.

EXPLANATIO

SI haec 3 bella ciuilia. **DOLEAM**, 3 dolerem. **NON SENSU NOSTRO**, 3 causa falsa. **SED SALUTE** 3 causa finalis est salus patriae: efficiens est studium, & caritas. **IUDICANTEM**, 3 Sapientem. **VIRTUTIS** 3 cupiditate. **ETIAM SI TU** 3 Mutatio personae. id post etiam si sapiens id non agat. **AGAS**, 3 propositum habeas. **NATURA UERO** 3 Naturam uocat naturae necessitatem. **ORTVS NOSTER** 3 ingressus in hanc uitam. **QVAE UT NIBIL** 3 Plato in Axiocho. *Ημεῶν δὲ τοῦ Προδίκου λέγοντος, ὅτι ὁ θάνατος οὐδὲν περὶ τοῦ σώματος ἐστίν, οὐτε περὶ τοῦ μετ᾽ ἡμᾶς ὄντος.* &c. **POST MORTEM** 3 exitum uitae. **ALTERI** 3 mortui. **SOMNI SIMILLIMAM** 3 hinc illud Ouidij: Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago? **QVAST UERO** 3 Refutat Cicero similitudinem, & ostendit argumenta, quae hactenus posuit, esse firmiora. **RELIQVOS** 3 annos aetui sempiterni.

CICERO

CICERO

ENDYMION uero, si fabulas audire uolumus, nescio quando in Latmo obdormit, qui est mons Cariae, non dum, opinor, experrectus. num igitur eum curare censes, cum Luna laboret, a qua consopitus putatur, ut cum dormientem oscularetur? quid curet autem, qui ne sentit quidem? habes somnum imaginem mortis; eamque quotidie induis: & dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cum in eius simulacro uideas esse nullum sensum? Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. quod tandem tempus? naturae ne? at ea quidem dedit usuram uitae, tanquam pecuniae, nulla praescripta die. quid est igitur, quod querere, si repetit cum uult? ea enim condicione acceperas. Idem, si puer paruus occidit, ac quo animo ferendum putant; si uero in cunis, ne querendum quidem. At qui ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat, nondum gustauerat, inquit, uitae suauitatem: hic autem iam sperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem ipsum in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem, quam nullam, attingere: cur in uita

secus? quamquam non male ait Callimachus, multo saepius lacrymasse Priamum, quam Troilum. Eorum autem, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur: cur? nam, reor, non illis, si uita longior daretur, posset esse iucundior. nihil est enim profecto homini prudentia dulcius: quam, ut cetera auferat, asserte certe senectus. quae uero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? non ne modo pueros, modo adolescentes in cursu a tergo insequens nec opinantes affecuta est senectus? sed, quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus. omnia ista, perinde ut cuique data sunt, pro rata parte aut longa, aut breuia dicuntur. Apud Hispanum fluuium, qui ab Europae parte in pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem uiuant. ex his igitur hora octaua quae mortua est, pro uecta aetate mortua est; quae uero occidente sole, decrepitate magis, si etiam solstitiali die, confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate: in eadem prope modum breuitate, qua illae bestiolae, reperiemur.

EXPLANATIO

ENDYMION uero: hic amator Lunae dictus est, quia, ut tradit Plinius, multiagos flexus Lunae primus deprehendit. **QUANDO** quae aetate hominum. **LUNA** laboret: & cursu, amore ipsius Endymionis dormientis. Luna laborare dicitur proprie in defectu. **QUID** curet: & osculum Lunae. **NE** sentit: & se osculari. **INDUIS**: & assumis. **ET** dubitas, & Interrogatio reprehendens. quasi dicat, Stulte dubitas. **SIMULACRO**: & imagine, speciei rei falsa. **INEPTIAE** paene aniles, & ineptae obiectio nes, cuiusmodi a deliris aniculis confingi solent. **PRAESCRIPTA** die: & scilicet, redditionis. **ACCEPERAS**: & uitam. **SI** puer paruus: & Si quis in puerili aetate, quae incipit a septimo anno. **AEQVO** animo ferendum putant: & in bonam partem accipientes dolorem, putant ignoscendum esse naturae. **IN** cunis: in prima infantia. **AB** hoc: & puero, qui superauit septimum annum. **EXEGIT**: & quae eredit. **ACERBIVS**: & cum maiore sensu doloris. **NONDUM** gustauerat, & Sic Virgilius:

Quos dulcis uitae exfortes, & ab ubere raptos,

Abstulit atra dies, &c. **HIC**: & puer. **MAGNA**, & diuitias, honores, uxorem,

possessione, bonorum hereditates. **SAEPIVS** lacrymasse: & Hinc Iuuenalis:

Haec data poena diu uiuentibus, ut renouata

Semper clade domus multis in luctibus, inq.

Perpetuo maerore, & nigra ueste senecant.

TROIIVM. & eius filium **EXACTA** aetate: & confecti senio: qui scilicet superarunt infantiam, pueritiã, iuuenilem aetatem, adolescentiam, uirilem aetatem, & senectutem. **NAM**, reor, non illis, & Non, antiquus liber non habet: nec sane cum sententia congruit: cum Cicero prudentiam in senibus laudet. Haec Paullus pater. **DVLICIVS**: & dulce bonum prudentia. **ASSECUTA**: & anteuersa. **OMNIA** ista, perinde ut cuique data sunt, pro rata parte aut longa, aut breuia dicuntur. & Legebatur antea, Pro rata parte a uita longa, nos, sensum secuti, Aut longa, correximus, adiuti non nisi a libro Maffaei scripto, in quo legitur, Aut ita, ex quo etiam, si priore loco, Ita, constituas, posteriore, Aut, legi posset, hoc modo: Omnia ista, perinde ut cuique data sunt, prorata parte ita aut longa, aut breuia dicuntur. Haec Paullus pater. **ARISTOTELES**: lib. v. de historia animalium. **HORA** octaua: & secunda pomeridiana. **PROVECTA** aetate: & Prouecta aetas est, quae proxime deuectam aetatem antecedit: quae decrepita est, exsanguis, & incuruata. **SOLSTITIALI**, die: & cum sol ad summum peruenit.

CICERO

CONTEMNAMVS igitur omnes ineptias: (quod enim leuius huic leuitati nomen imponam?) totamque, uim bene uiuendi in animi robore, ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum contemptione, ac desipientia, & in omni uirtute ponamus. nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effeminamur; ut, si ante mors aduentet, quam Chaldaeorum promissa confestim sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, illusi, destituti, uideamur. quod si exspectando, & desiderando

pendemus animis, cruciamur, angimur: pro dii immortales, quam iter illud iucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit: & quam me delectat Theramenes, quamque elato animo est? etsi enim stemus, cum legimus: tamen non miserabiliter uir clarus emoritur. qui cum, coniectus in carcerem triginta inssu tyrannorum, uenenum ut sitiens obbibisset; reliquum sic a populo eiecit, ut id resonaret. quo sonitu reddito, rediens, propino, inquit, hoc



pulchro Critiae, qui in eum fuerat taeterrimus. Graeci enim in conuiujs solent nominare, cui poculum tradituri sint. Iustus uir egregius extremo spiritu, cum iam praecordijs conceptam mortem contireret: uereq. ei, qui uenenum praebuerat, mortem est eam auguratus, quae breui consecuta est. quis hanc animi maximi aequi

tatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Vadit in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere iudicum, quo tyrannorum Theramenes. quae est igitur eius oratio, quia facit eum Plato usum apud iudices, iam morte multatum.

EXPLANATIO

INEPTIAS § ineptos metus. **LEVIVS** § contemptius. **HVIC leuitati** § leuitatem uocat leuium hominum sententias. qui scilicet quouis momento mouentur. **IN omni uirtute** § in omni genere uirtutum. **CHALDAEORVM** § Chaldaeos uocat hoc in loco eos, qui hominum *μετέωρις* considerant, qui futura praedicunt. **PROMISSA** § uitae perfectae. **QVAM optabiliter illud iter ineundum esse debet,** § Quis hoc modo loquitur? Debet esse ineundum, nemo certe dixerit: & illud, Ineundum est, Iniri debet, Inire nos decet, Latine dixeris. monere lectorem uolui, ut, cum in scriptos libros incidit, hunc locum diligenter inspiciat. Haec Paullus pater. **THERAMENES,** § Vide Xenophontem libro. 2. *ἄλλοι.* & Val. de Fortitudine. **ELATO animo** § supra animos coeterorum hominum. excelso animo. **LEGIMVS** § historicos, & uitam ipsius Theramenis. **FLETVS,** § propter indignitatem supplicij. **EMORITVR.** § mortem fert usque ad extremum spiritum. **TRIGINTA** § qui a Lacedaemonijs impositi fuerunt Atheniensibus. **OBBISSET,** § Obduxisset, **Victorius:** at Xenoph. lib. 2. de rebus Graecis: *Ἐπει τὸ καὶ γένοιτο ἐπιτε.* **RELIQVVM** § uenenum confectum ex cicuta, **VT id resonaret.** § illisum humo. **QVI in eum fuerat taeterrimus** § animo scilicet crudelissimo. Interpretatur Cicero Theramenis dictum ironicum fuisse. **CVI poculum** § quod dicitur hospitale **LVSIT** § facete irrisit **Tyrannū MORTEM** § uenenum letiferum. **PRÆBVERAT,** § praebere iusserat. **CONSECUTA est.** § liberatis per Thrasybuluma triginta Tyrannorum imperio Athenis. **IN eundem carcerem,** § Barathrum ipsis dicebatur. **IUDICVM** § Atheniensium, **PLATO** § in Apologia.

CICERO

MAGNA me, inquit, spes tenet, iudices, bene mihi euenire, quod mittar ad mortem. necesse est enim si alterum de duobus, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium que dā locum ex his locis morte migretur. quam obrem, siue sensus exstinguitur, morsq. ei somno similis, est qui non numquam, etiā sine uisis somniorum, placatissimam quietem affert: dii boni, quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beator? si uera sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui a uita excesserunt, incolunt: id multo iam beatius est, te, cum ab ijs, qui se iudicum numero haberi uolunt, euaseris, ad eos uenire, qui uere iudices appellantur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptoleum; conuenireq. eos, qui iuste & cum fide uixerint. Haec peregrinatio mediocriter uobis uideri potest? Vt uero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aesti-

matas? equidem saepe mori, si fieri posset, uellem, ut ea, quae dico, mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficeret, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquorum circumuentos conuenire? Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, & Ulyssis, Sisyphiq. prudentiam: nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne nos quidem, iudices, u, qui me absoluisis, mortem inueneritis. nec enim cuiquam bono mali quidquam euenire potest nec uiuo, nec mortuo: nec unquam eius res a dijs immortalibus negligentur: nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec uero ijs, a quibus accusatus sum, aut a quibus condemnatus, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. & hoc quidem hoc modo: nihil autem melius aestimo. Sed tempus est, inquit, iam hinc abire me, ut moriar; uos, ut uitam agatis. utrum autem sit melius, dii immortales sciunt; homines quidem scire arbitror neminem.

EXPLANATIO

MAGNA me § Locus est ex Apologia Socratis, fere ad uerbum conuersus. **SINE uisis infomniorum** § mille enim somnus suauis est, in quo non sunt infomnia mala. **QVID** § quantum lucri. **TALI nocti** § somno unius noctis. **CONSEQUENTIS temporis?** § omnium saeculorum, aeuu sempiterni. **ORAS** § caelestes, campos Elysios. **VERE iudices** § iuste iudices: uerus enim iudex est, qui iustus est. **NEC ob eam rem?** Vituperatio est iudicij: accusat eos iniquitatis. **QVOD succenseam,** § Ignoscere iudicij est fortis animi. **ET hoc quidem modo: nihil autem melius aestimo.** § Ex antiquo libro Massaei legedū puto: Et haec quidem hoc modo: nihil autem melius extremo ut hoc totū nō ex Socratis oratione sit, sed a Cicerone per interpositionem prolatum, nam neque in Platonis Apologia haec sunt; & dictio illa, Inquit, quae sub-

subsequitur, ideo uidetur esse illata, ut quasi interruptum superioris orationis filium contexeret. Sic & in alio libro scriptum esse scripsit ad me idem Germanus monachus. Haec Pallus pater. *Et hoc quid modo: Socrates pronunciauit. Nihil autem melius: quam id, quod sequitur: Sed tempus est, &c. VITAM } quod reliquum est uitae. SCIUNT } Scientia, est in rebus necessarijs; Opinio, in uerisimi-* libus, Fides uero, in persuasib. *SIT melius } mori, uel uiuerem.*

CICERO

NAe ego haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicauerunt. & si, quod praeter deos negat scire quemquam, id scit ipse, utrum melius sit: nam dixit ante: sed suū illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus; intelligamusq., si mors malum sit, esse sempiternum malum. nam uitae miserae mors finis esse uidetur: mors si est misera, finis esse nullus potest. Sed quid ego Socratem, aut Theramenem, praestantes uiros uirtutis, & sapientiae gloria, commemo-

ro, cum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tā opere contempserit, ut, cum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & esset uultu hilari, atque laeto, dixissetq. ei quidam inimicus, contemnis ne leges Lycurgi? responderit; ego uero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multauerit, quam sine mutuatione, & sine uersura possem dissoluere. O uirum Sparta dignum: ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse uideatur. Tales innumerabiles nostra ciuitas tulit.

EXPLANATIO

NAe ego } sequitur Ciceronis iudicium de his uerbis Socratis. *EORVM, qui iudicauerunt } quam iudicium, qui cum condemnauerunt. HAUD paullo hunc animum malim, } id est, multo magis uellem hunc Socratis animum. ET SI, quod } corrigat, ac interpretatur dictum Socratis, qui locutus uideretur contra sustentationem sententiae. DIXIT } affirmauit, ANTE: } in ijs, quae ego recitauit. TENET ad extremum } in extrema parte orationis dubitando, nam id peculiare fuit Socrati, quemadmodum & postea toti Academiae, nihil affirmare. TENEAMVS } concludamus. LACEDAEMONIUS quidam } Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis hunc Thectamenem appellat. AB Ephoris } Apud Lacedaemonios tales ferme erant Ephori, quales apud Romanos Tribuni pleb. Satis constat ab Ephoris reges alios ciectos fuisse, alios interemptos. MUTUATIONE } apud amicos. UERSURA } apud feneratoros. SPARTA } disciplina Spartana. TULIT } procreauit.*

CICERO

SED quid duces, & principes nominem, cum legiones scribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde reditur, as se non arbitrarentur? Pari animo Lacedaemonij in Thermopylis occiderunt: in quos Simonides: *Dic hos pes Sparta, nos te hic uidisse iacentes, Dum sanctis patriae legibus obsequimur. Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedaemonij: hodie apud inferos fortasse cenabimus. fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges uigebant, e quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians, solem prae iaculorum multitudine & sagittarum non*

uidebitis; In umbra igitur, inquit, pugnabimus. Viros commemoro: qualis tandem Lacaena? quae cum filium in proelium misisset, & interfectum audisset, iccirco, inquit, genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. Esto: fortes, & duri Spartiatae: magnam habet nim reip. disciplina: quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, non ne miramur? cui cum Lysimachus rex crucem minaretur; istis, quae so, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublimi putrescat.

EXPLANATIO

SED, quid duces } singulos. LEGIONES } integros exercitus. CATO } in suis Aboriginibus. LOCVM } pugnam in proelium. THERMOPYLIS } sic uocant angustias montium Thessaliae. IN quos Simonides: } In, praepositio, hic accipitur in bonam partē, pro In quorum laudē, ut de Oratore lib. 11. Multa in Cato stertem scripta, & Pollucem. & de Natura deorum lib. 1. Catulus dilexit Roscium: in quem et illud est eius, Confliterā exorientē aurorā forte salutans, & quae sequuntur. De senectute etiam, In quem, inquit, illud eulogium, Vnicum plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse uirū. His exēplis



adducti sumus, ut, In quos, emēdarem, cū, In quo, antea legeretur. Haec Paullus pater. *Dic hoste* ; Car me Simonidis. Meminit huius et Herod. in Polyty. *PERGITE animo fortis* ; Vereor, ne Graccū uerbū, *Απιστοσιει* *Δου*, parum intellexerit Cicero noster. nam id ualet, Prandere, non, ut Cicero uidetur accepisse, Fortiter agere. utitur autem hoc uerbo Plutarchus in Laconicis, ubi hoc Leonidae facinus narrat Isidorus etiam Etymo. lib. xx. cap. 2. Vnde, inquit, illud ducis alloquium ; Prandeamus, tamquam ad inferos cenaturi. *Pergit* : ad proelium, excipiamus impetum hostium. *DVM Lycurgi leges* ; annis circiter quingentis. uide Plutarch. in Lycurgi uita. *IN umbra* ; iaculorum. *LACAENA* ; Lacedaemonia mulier. *ESTO* ; concedam uobis. *FORTES* ; animo in contemnenda morte. *DVRI* ; corporibus in patiendis laboribus, & dolore. propter disciplinam reip. *CYRENAEVM Theodorum*, ; De hoc uide Val. & Senecam de Tranquillitate. *LYSIMACHVS rex* ; ad quem missus erat a Ptolemaeo. *CRUCEM munitaretur* ; propter libertatem sermonis. *SUBLIME* ; in cruce.

CICERO

CVIUS hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione, & sepultura dicendum existimem. rem non difficilem, is praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paullo ante dicta sunt. de qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo iam tam multa diximus. cum enim de immortalitate animorum disputauisset, & iam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone quemadmodum sepeliri uellet, Multam uero, inquit, operam amici frustra consumpsi: Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quidquam mei relicturum. uerum-

tamen Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi uidebitur, sepelito. sed, mihi crede, nemo me uestrum, cum hinc excessero, consequetur. Praeclare id quidem, qui & amico permiserit, & se ostendit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes, & id quidem sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, proici se iussit inhumatum. tum amici, uolueribus ne, & feris ? minime uero, inquit: sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. qui poteris, illi ? non enim senties. quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti ?

EXPLANATIO

NON difficilem, ; non horribilem. **NIHIL sentiendo** ; de extinctione sensus. **IN eo libro** ; Phaedone Platonis. **CRITONE** ; suo familiari, & discipulo, quem Socrates, uetuit ne pecunia corrumperet custodem carceris. **CONSUMPSI** ; hac nocte disputans cum meo Critone. **AVOLATURVM** ; celeriter abiturum. **QUIDQVAM mei** ; quod uere meum sit. habuit enim corpus pro hominis ergastulo, pro sepulcro, non pro parte hominis. **DURIOR**, ; uita. ; **ASPERIVS** ; cum insuauitate morum, & quasi impudens.

CICERO

PRAECLARE Anaxagoras: qui cum Lampsaeci moreretur, quaerentibus amicis, uellet ne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri; nihil necesse est, inquit: undique enim ad inferos tantundem uiae est. Totaq. de ratione humationis unum tenendum est; ad corpus illam pertinere, siue occiderit animus, siue uigeat: in corpore autem, perspicuum est, uel extincto animo, uel elapso, nullum residere sensum. Sed plena errorum sunt omnia, trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum, & sentire credo putat. ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi uidetur: at illa sicut acerbissimam rem maeret: Vidi, uidere quod me passa aegerrime, Curru Hectorem quadrijugo raptarier, quem Hectorem? aut quam diu ille erit Hector? melius Atius, & aliquando sapiens Achilles: Immo enim uero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli. non igitur Hectora traxisti, sed corpus quod fuerat He-

ctoris. Ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat.

Mater, te appello, quae curam, somno suspensam, leuas,

Neque te mei miseret: surge, & sepeli natum. haec cum pressis, & flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur; difficile est non eos, qui inhumati sunt, miseros iudicare.

• Prius quam ferae,

Volucresq.

metuit, ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit.

Heu, reliquias semiaffi regis, denudatis ossibus,

Per terram sanie delibutam foede diuexarier.

non intelligo, quid metuat, cum tam bonos seiprenarios fundat ad tibiam. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem: cum multi inimicos etiam mortuos puniant.

EXPLANATIO

VNDIQUE enim ꝛ Laertius lib. 2. Παντα γὰρ ὅσα ὄντα ἐστὶν ἢ εἰς αὐτὸν κατὰ δόξαν. TENENDVM est; ꝛ pro confirmato habendum est. AD corpus ꝛ ad seruitium corporis. VIGEAT: ꝛ uel perpetuo, uel aliquantis per. ELAPSO ꝛ e uinculo ipsius corporis. SENSVM ꝛ mali. HECTOREM ꝛ occisum a se. SENTIRE ꝛ se cruciatu affici. VICISCITVR ꝛ cum uoluptate poenas sumit. AT ille ꝛ siue mater, siue nutritrix, siue uxor. QVEM Hectorem? ꝛ irridetur tragici poetae stultitia. MELIUS ꝛ magis philosophica. CORPVS ꝛ Hectoris. HECTOREM ꝛ animum ipsum. TRAXISTI ꝛ o Achilles. ECCE alius ꝛ Polydorus a Polymnestore Thracum rege occisus. Vide Virgilium in IV. Aeneid. MATREM ꝛ Hecubam: quamquam Ilionam habet Horat. Sermonum II. PRESSIS, ꝛ ostendit huiusmodi opinionum auctores esse Tragicos poetas. VOLVRESQ. ꝛ totum absument. Pertinent haec uerba ad paullo ante citata ex Tragoedia, quemadmodum & quae sequuntur de semisato regis cadauere. COMBUSTIS ꝛ membris. SEMIASSI ꝛ in rogo funebri. NON intelligo, quid metuat, ꝛ Non est causa doloris. Est dolor fictus. SEPTENARIOS fundat ad tibiam ꝛ caneat tibicen, pronuntiabat histrio. NIHIL curandum ꝛ nihil metuendum. CVM ꝛ etiam si.

CICERO

EXSECRATVR luculentis sane uersibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus. durum hoc sane: talis enim interitus non est sine graui sensu: illa inania:

- Ipse summis saxis fixus asperis,
Euisceratus, latere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie, & sanguine atro.
non ipsa saxa magis sensu omni uacabunt, quam ille
latere pendens, cui se hic cruciatum censet optare. quã
essent dura, si sentiret? nulla sine sensu.
Illud uero perquam inane:
Neque sepulcrum, quo recipiatur habeat, portum
corporis,
Vbi remissa humana uita, corpus requiescat malis.
Vides, quanto haec in errore uersentur. portum esse corporis,
& requiescere in sepulcro putat mortuum. magna culpa Pelopis, qui non erudierit, filium, nec docuerit
quatenus esset quidque curandum. Sed quid singu-

lorum opiniones animaduertam, nationum uarios errores perspicere cum liceat? Condiunt Aegyptij mortuos, & eos domi seruant. Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quãmaxime permaneant diuturna corpora. magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint antea laniata. in Hyrcania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos. nobile autem genus canum illud scimus esse. sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur: eamque optimam illi esse censent sepulturam. Per multa alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus: sed ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat, & reformidet oratio. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, nõ negligendus in nostris, ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire sentiamus. quantum autem consuetudini, fama eq. dandum sit, id curent uiui, sed ita, ut intelligant nihil ad mortuos pertinere.

EXPLANATIO

LUCULENTIS ꝛ splendidis, gloriosis. ATREVS. ꝛ frater. TALIS interitus ꝛ naufragio scilicet petire. INANIA ꝛ sine ueritate, & ratione. QVAM essent dura ꝛ interrogatio, cum contraria inductione. PERQVAM inane ꝛ magis inane, quam superiora. HAEC in errore uersentur ꝛ Concinnius, Hic in errore uersetur. sequitur enim proxime, Putat. tamen si ne illud quidem alterum carere sententia uideo. Haec Paullus pater. PELOPIS ꝛ patris. FILIUM ꝛ Atreum. QVATENVS ꝛ quo iudicio. SINGVLORVM ꝛ poetarum, philosophorum, ducum, imperatorum, militum. CONDIUNT ꝛ aromatibus, unguentis, quae conseruant ab interitu ipsa cadauera. De uario sepeliendi ritu lege Herod. Strab. Plinium, Solinum, & alios. MAGORVM ꝛ Magi fuere sacerdotes Persarum. Hi cum matribus ex patrio more congregiuntur: Ob hoc dixit Catulus

Nam magus ex matre, & gnato gignatur oportet:
Si uera est Persarum impia religio.

NOBILE ꝛ Hyrcanorum. PARAT, ꝛ canes. CURIOSVS ꝛ diligens coacernator. TAETRA ꝛ horribilia. ORATIO ꝛ mea. TOTVS igitur hic locus ꝛ de sepultura. IN nobis ꝛ quantum attinet ad nos uiuentes. IN nostris ꝛ defunctis.

CICERO

C I C E R O

SED profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus uita occidens consolari potest. nemo parū diu uixit, qui uirtutis perfectae profecto functus est munere. multa mihi ipsi ad mortem tempestiua fuerunt: quae utinam potuissim obire. nihil enim iam acquirebatur: cumlata erant officia uitae: cum fortuna bella restabant. Quare, si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus: at uita acta perficiat, ut satis superque uixisse uideamur, quamquam enim sensus abierit; tamen summis, & proprijs bonis & laudis, & gloriae, quamuis non sentiant, mortui non carent. etsi enim nihil in se habeat gloria, cur expetatur; tamen uirtutem tamquam umbra sequitur. uerum multitudinis iudicium de bonis, si quando est, magis laudandum est, quam illi ob eam rem beati. Non possum autem dicere, (quoquo modo hoc accipiatur) Lycurgum, Solonem legum, & publicae disciplinae carere gloria; Themistoclem, Epaminundam bellicae uir-

tutis. ante enim Salamina ipsam Neptunus obruet, quā Salaminij trophaei memoriam: priusque Boeotia Leuctra tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria. Multo etiā tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duos Scipiones, duos Africanos, Maximum, Marcellum, Paullum, Catonem, Laelium, innumerabiles alios. quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed uera bonorum laudē metiens, fidenti animo, si ita res feret, gradietur ad mortem: in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus: secundis uero suis rebus uolet etiam mori. non enim tā cumulus bonorum iucundus esse potest, quam molestia decessio. Hanc sententiam significare uidetur Laconis illa uox, qui, cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duos suos filios uictores Olympiae uidisset, accessit ad senē, & gratulatus, morere Diagora, inquit: non enim in caelum adscensurus es.

E X P L A N A T I O

PROFECTO ꝫ Profecto nunc dicitur, cum quid habetur pro facto. Affirmatio est in rebus transactis, probatis, decretis, demonstratis. **OCCIDENS** ꝫ homo moriens. **OBIRE**. ꝫ approbare, & sequi. **NIHIL** ꝫ laudis, honoris. **IAM acquirebatur**: ꝫ amplius acquiri potuit. **CUMLATA** ꝫ multiplicata, & amplificata. **OFFICIA** ꝫ recte, & praeclare gesta. **BELLA** ꝫ ciuilia. **RESTABANT** ꝫ ad impediendam felicitatem. **IPSA ratio** ꝫ argumentatio philosophorum. **VITA acta** ꝫ praeclare, profecto uirtutis munere. **SUIS, & proprijs** ꝫ Suum, est, quod uniuscuiusque singulare est; Proprium, quod ab unoquoque possessum est, quod non alienum est. **QUAM illi** ꝫ mortui, **OB eam rem** ꝫ ob iudicium uulgi. **LYCURGVM, Solonem** ꝫ Vtriusque uitam describit Plutarchus. **SALAMINII trophaei** ꝫ Victoriae, quam Themistocles habuit contra Persas apud Salaminam. **TARDIUS** ꝫ quam Epaminondam, & Themistoclem. **SCIPIONES** ꝫ qui perierunt in Hispania. **SVMVMVM bonum** ꝫ si anima est immortalis. **NULLVM malum** ꝫ si corpus interit. **COGNOVIMVS** ꝫ didicimus in hoc loco. **SIGNIFICARE** ꝫ probare. **DIAGORAS Rhodius** ꝫ Vide Gel. lib. III. **OLYMPIONICES** ꝫ Olympionicas uocant uictores in ludis Olympiacis. **OLYMPIAE** ꝫ in Olympio certamine. **IN caelum** ꝫ nihil reliquum est laudis.

C I C E R O

MAGNA haec, & nimium fortasse Graeci putant, uel tum potius putabant: isque, qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans tres Olympionicas una ex domo prodire, cunctari illum diutius in uita, fortunae obiectum, inutile putabat ipsi. Ego autem, tibi quidem quod satis esset, paucis uerbis, ut mihi uidebar, respondendam: concesseras enim, nullo in malo mortuos esse: sed ob eam causam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio, & luctu haec est consolatio maxima. nostrum enim, & nostra causa susceptum dolorem modi-

ce ferre debemus; ne et nosmet ipsos amare uideamur. Illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbatī sumus, esse cum aliquo sensu in his malis, quibus uulgo opinantur. hanc excutere opinionē mihi met radicitus uolui, eoque fui fortasse longior. At tu longior? nō mihi quidem. prior enim pars orationis tuae faciebat, ut mori cuperem; posterior, ut modo non nollem, modo non laborarem: omni autem ratione illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis.

E X P L A N A T I O

NVLLO in malo ꝫ quia animus simul cum corpore interiret. **IN desiderio** ꝫ uiuorum. **ET luctu** ꝫ propter mortuos. **CONSOLATIO** ꝫ uiuorum. **MAXIMA** ꝫ scilicet, mortem non esse malum. **SUSCEPTVM** ꝫ a nobis. nam eorum, qui mortui sunt, causa dolendum non esse, iam probauit rationibus, & exem-

& exemplis. MODICE ξ moderate, patienter. CRUCIAT ξ uiuos lugentes. Si opinamur ξ Si in hoc loco significat, propterea quod. Vt mori ξ propter uitam beatam. LABORAREM: ξ extimescerem. OMNI autem oratione ξ Iam duas orationis partes fecit, nunc de tota loquitur. itaque legendum omnino. Oratione, non, Ratione. In Verr. lib. VI. Vt aliquando totam huius generis orationem concludam; non, Rationem. Et Ter. Andria. PERFECTVM ξ integre demonstratum.

C I C E R O

M Num igitur etiam rhetorum epilogum desideramus, an iam hanc artem plane relinquimus? *A. Tu uero istam ne reliqueris, quam semper ornasti: & quidem iure: illa enim te, si uere loqui uolumus, ornauerat. sed quinam est iste epilogus? aueo enim audire quidquid est. M. Deorum immortalium iudicia selet in scholis proferre de morte, nec uero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore, alijsq. pluribus. Primum Argiae sacerdotis Cleobis, & Biton filij praedicantur. nota fabula est. cum enim illam ad sollemne, & statum sacrificium curru uehens esset, satis longe, ab opido ad sanum; morarentur iumenta: tunc iuuenes ii, quos modo nominauit, ueste posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt. ita sacerdos aduectus in sanum, cum*

currus esset ductus a filijs, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post, epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Simili precatione Trophonius, & Agamedes usi dicuntur: qui, cum Apollini Delphis templum exaedificassent, uenerantes deum petierunt mercedem non paruum quidem operis, & laboris sui, nil certi, sed quod esset optimum homini. quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. iudicauisse deum dicunt, & eum quidem deum, cui reliqui dij concessissent, ut praeter ceteros diuinaret, mortem esse optimum homini.

EXPLANATIO

RHETORVM epilogum ξ epilogum declamatorum sophistarum. Tu uero ξ qui rex semper fuisti oratorum in petorando. QUINAM ξ qualisnam. ISTE ξ rhetoricus. AUEO ξ auere est cupide petere. &, quemadmodum fumus auidi cibi: sic etiam fumus auidi cognitionis, & scientiae. IVDICIA ξ auctoritates, quibus stare debemus. SOLENT ξ in declamationibus. FINGERE ξ a se ficta proferre more Rhetorum. ARGIAE sacerdotis ξ Delphici Apollinis. NOTA fabula ξ Plato in Axiocho, & Herodot. lib. VI. SOLLEMNE, & statum sacrificium ξ Statum lego, non Statutum, ut habent aliquot impressi libri, sic & in oratione de Harusp. resp. Statas, sollemnesq. caerimonias. Et Liuius lib. XL. Proficiscuntur ab Thessalonica Aeniam ad statum sacrificium. Manauit autem latius hoc mendum, ut in ueterum libris saepe, pro Statum, legatur Statutum. Exempla, ne satietatem habeat prolixitas, omitto. Haec Paullus pater. Sollemne: ξ $\epsilon\sigma\pi\eta\lambda\eta\gamma$, Herodorus. Sollemne: quod singulis annis est statum: Quod designatam horam, & tempus habet, hoc Statum dicitur. IUS ξ mandatum, ξ $\delta\epsilon\iota\gamma$. MORARENTVRO, ξ tardius incederent, ξ $\nu\sigma\epsilon\pi\lambda\epsilon\gamma$. IUMENTA: ξ $\beta\omicron\upsilon\tau$. POSITA ueste ξ exfuit uestibus. PRO pietate ξ Pietas proprie dicitur officium, quod suscipitur erga parentes: uel erga senes: uel erga benemeritos. SOMNO se dedisse ξ $\chi\omicron\mu\alpha\sigma\theta\alpha\iota$. MORTVOS ξ pro praemio. TROPHONIVS, & Agamedes ξ De his Strabo lib. IX. VENERANTES ξ Participium loco aduerbij: reuerenter petierunt. PRAETER ceteros ξ maioribus praefigijs diuinaret.

C I C E R O

FERTVR etiam de Sileno fabella quaedam: qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur; docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quamprimum mori. qua est sententia in Cresphonte usus Euripides:

Nam nos decebat, coetus celebrantes domum,
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae uitae uaria reputantes mala:
At, qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude, & laetitia exsequi.

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris: ait enim Terinaeum quendam Elisium, cum grauiter filij mortem maereret, uenisse in psychomantium, quaerentem quae fuisset tantae calamitatis causa: huic in tabellis tres huiusmodi uersiculos datos:

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euthymus potitur fatorum munere laeto.
Sic fuit utilius finiri, ipsique, tibi que.
His, & talibus auctoribus usi, confirmant causam, rebus a dijs immortalibus indicatam.

EXPLA.

EXPLANATIO

DE Sileno ꝛ Meminit huius Plutarch. in lib. de audiendis poetis, ubi etiam Euripidis locus citatur, quem hic Laone expressit Cicero. uide etiam Strab. lib. xii. & Stob. cap. 119. & Plat. in Axiocha. **SVA** *miffione* ꝛ liberatione. **CRESPHONE** ꝛ quae Tragoedia non exstat. **NAM** nos decebat, & his tribus uerbis unum expressit Cicero senarium:

Τὸν οὐκ ἴτα θνητὸν εἰς ὅς, ἐρχέσθαι κακὰ.

Duo uero subsequentes totidem Graecis:

τὸν δ' αὖ δαμόνα, καὶ πόνοι πεπαιμένον,
καὶ πόνας, ἐνσημοῦντι ἀεὶ ἐκπέπτην δόμον

LAVDE ꝛ deorum. **LAETITIA** ꝛ amicorum. **EXSEQUI** ꝛ decet. In *Consolatione Crantoris* ꝛ quem Cicero in *Consolatione* sua se imitatum esse, supra confessus est. **TERINAEVM** *quendam Elysiūm* ꝛ a Terina loco in magna Graecia celebri. **PSYCHOMANTIVM** ꝛ oraculum animorum: locum ex quo animae respondent. **IGNARIS** *in mentibus* ꝛ Plut. in *Consolatione* ad Apollodorū. **CONEIRMANT** *causam* firmiter in tractatione, quaestionem de morte.

CICERO

ALCIDAMVS quidam, rhetor antiquus in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis, quae constat ex enumeratione malorum humanorum. cui rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Clarae uero mortes pro patria opperitae, non solum gloriofae rhetoribus, sed etiam beatae uideri solent. repetunt ab Erechtheo: cuius etiam filiae cupide mortem experierunt pro uita ciuium; Codrum, qui se in medios immisit hostes familiari ueste, ne posset agnosci,

si esset ornatu regio: quod oraculum erat datum, si res interfectus esset, uictrices Athenas fore. Menoeceus uero non praetermittitur: qui, oraculo edito, largitus est patriae suum sanguinem. Iphigenia Aulide dum se immolendam iubet, ut hostium sanguis eliciatur. Veniunt inde ad propiora. Harmodius in ore, & Aristogiton: Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas uigent nostros non norunt: quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus uidemus optabiles suos se mortes cum gloria.

EXPLANATIO

ALCIDAMVS ꝛ hic fuit Eleates, & auditor Gorgiae. **RATIONES** ꝛ argumenta. **EXQUISITIVS** ꝛ diligentius, doctius, eruditius. **COLLIGUNTUR** ꝛ concluduntur argumentando. **GLORIOSAE** ꝛ fama, & memoria rerum gestarum. **BEATAE** ꝛ sensu, & usu. **ERECHTHEO**: ꝛ Atticae rege. Meminit huius etiam in oratione pro Sextio. **FILIAE** ꝛ quae enuntantur ab Herodoto. **CODRVM** ꝛ Atheniensium regem, de quo Iustinus, Valerius, & alij. **MENOECEVS** ꝛ Creontis, Thebarum regis, filius. Euripides in Phoenissis, & Stadius lib. x. Thebaidos. **SVM** sanguinem. ꝛ uitam suam deuouit. **IPHIGENIA** ꝛ Agamemnonis filia. De hac item Euripides. **HOSTIIVM** ꝛ Troianorum. **HARMODIVS** ꝛ De hoc, & de Aristogitone Herodotus in vi. **NOSTROS** ꝛ maiores nostros, Fabios, Brutos, Camillos, Catones, Maximos, & clarissimos uiros.

CICERO

QVAE cum ita sint; magna tamen eloquentia est utendum, atque ita uelut superiore e loco concionandum, ut homines mortem uel optare incipiant, uel certe timere desistant. nam, si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci: quid optabilius? sin autem perimit, ac delet omnino: quid melius, quam in medijs uitae laboribus obdormiscere, & ita conuiuentem somno consopiri sempiterno? quod si fiat: melior Ennij, quā Solonis, oratio. hic enim noster, Nemo me lacrimis decoret, (inquit) nec funera fletu Faxit. at uero sapiens ille, Mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis

Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu. nos uero, si quid tale acciderit, ut a deo denunciatum uideatur, ut exeamus e uita, laeti, & agentes gratias pareamus, emittiq. nos e custodia, & leuari uinculis arbitremur; ut aut in aeternam, & plane in nostram domum remigremus; aut omni sensu, molestiaq. careamus: sin autem nihil denunciabitur; eo tamen sumus animo, ut horribilem illum diem alijs, nobis fauissimum putemus; nihil in malis ducamus, quod sit uel a dijs immortalibus, uel a natura, parente omnium, constitutum. non enim temere, nec fortuito sati, & creati sumus: sed profecto fuit quaedam uis, quae generi consuleret

consuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. portum potius paratum nobis, & perfugium putemus. quo utinam uelis passis peruehi liceat. sin, reflatibus uentis, reijciemur: tamen, eodem paullo tardius referamur, necesse est. quod autem omnibus necesse est, id ne miserum esse uni potest? Habes epilogum, ne quid praetermissum,

aut relictum putes. A. Ego uero. & quidem fecit etiam iste meepilogus firmiorem. M. Optime, inquam: sed nunc quidem ualitudini tribuamus aliquid: cras autem, &, quot dies erimus in Tusculano, agamus haec, & ea potissimum, quae leuationem habeant aegritudinum, formidinum, cupiditatum. qui omni e philosophia est fructus uberrimus.

M V EXPLANATIO

ELOQUENTIA § in amplificando. SUPERIORE § tamquam e tribunali. OPTARE § si anima est immortalis. TIMERE § si corpus interit una cum anima. SUPREMVVS § Diem supremum uocamus, quemadmodum Horatius etiam, supremam horam, extremum diem. LOCI § terrestris cum caelesti. OPTABILIVS § quam mutare locum deteriore cum meliore, mortale cum immortale. OMNINO: § animum cum corpore. OBDORMISCERE § ex lassitudine. SI fiat § etiam si fieri posset. ENNII § Poetae Romani. ORATIO. § sententia. SAPIENS ille, § Solon, qui cognomen tum assecutus est Sapientis. Fuit enim unus ex septem sapientibus Graeciae. MORS mea § Hoc epitaphium Socratis esse uideur: quod etiam Graece citat Plutarchus. REMIGREMVS § si animi sunt immortales. CAREAMVS § si animus interit cum corpore. SI autem nihil denunciabitur; § si naturae finis exspectandus est. DIEM § mortis ALIIS, § nefariis hominibus. NOBIS § bonis uiris. TEMERE § absque consilio deorum. NEC id § id animal. EXANTLAVISSET § superasset. VELIS passis § secundo uento. secundo enim uento uela pandimus. Metaphora est a nauigantibus. REFLANTIBVS uentis, § id, est aduersis. persistit in translatis. QVOD autem omnibus § sic Seneca in epist. Quis, inquit, quaeri potest in ea condicione se esse, in qua nemo non est? EGO uero § habeo fidem. CRAS autem § ponit materiam insequentium librorum. AGAMVS haec § curemus, quae pertinent ad bonam uitam.

Haecenus Cicero de morte sententiam suam explicauit, ut illius temporis falsa religio docuit.



M V ARGVMENTVM

IN TUSCULANA SECUNDA CICERO docet dolorem esse tolerandum, quo modo, & cum tolerandum. Vult enim dolorem non futurum esse malum, cum debeat in malum mutari. Hinc omnia, quae nocere uidentur, cum tolerata prudenter conuenia, & sine crinita: id est, diuina uirtute esse, ac potissimum.





IN
M. TVLLII. CICERONIS
TVS CVLANARVM

DISPV TATIONVM
AD. M. BRVTVM
LIBRVM. II.

DE. TOLERANDO. DOLORE
Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

IN TVS CVLANA secunda Cicero docet dolorem esse to-
lerandum, quo modo, & cur tolerandus. Vult enim
dolorem non summum esse malum, cum dedecus sit
maius malum. Hinc omnia, quae nocitura uidean-
tur, cum tolerantia prudenter cauenda, & sine cuius-
quam iniuria: idq. diuinum munus esse, ac potissimum.